

**Jacobus Masenius**  
**‘Mauritius Orientis Imperator’**

Tragoedia  
(1657)



Jan-Wilhelm Beck  
Institut für Klassische Philologie  
Lehrstuhl Lateinische Philologie  
Universität Regensburg  
Universitätsstraße 31  
93040 Regensburg  
Dezember 2007

## Argumentum

Mauritius Cappadox ad Orientis Imperium ex humili genere emersit, virtute bellica. cum a Persis divictis redux, Tiberii Imperatoris factus gener, eidem successit. sed postquam deinde Chaganus Avarum Rex magnis Imperium cladibus fatigavit, Mauritius Religiosos quoque ad bellum coegit, mancis belloque inutilibus in Monasteria surrogatis, tum vero ingentem suorum captivorum numerum, qui levissimo redimi aere poterant, hostili crudelitati temere avareque immolavit, frustra ab illo facinore Gregorio Pontifice, ab hoc Phoca aliisque militiae Ducibus Imperatorem avocantibus. quocirca conscientia demum portentisque caelestibus territus, cum non vane monitus esset, imperium sibi ab aliquo, cuius nomen a  $\Phi$  principium duceret, adimendum, Philippicum sororium, egregium belli Ducem, suspectum habuit. verum cum et civium suorum in se concitasset odia, ut hi etiam Constantinopolitana in urbe homini Mauro, eius simili, asino imposito aliisque coronato turpiter, velut Imperatori, propalam illuserint, miles ad haec suorum neglectu asperior Mauritium aversaretur, Phocas militaris atque audax homo, iniuriae, quam coram Imperatore inflictam alapa acceperat, vindicandae cupidus occupata plerorumque gratia, Imperium sibi vindicavit et Mauritium cum filiis interceptum ultimo supplicio mactavit. qui factorum poenitens, insigni constantia suam suorumque mortem excepit ac proprii etiam filii, quem nutrix alieno substituto permutaverat, simulationem detexit; auditus ad singulas suorum caedes dicere: ‘Iustus es, Domine, et rectum Iudicium tuum.’ (vide Baron. ad ann. Christi 589. et seq.)

## Personae

Mauritius, Imperator	Tribunus
Agatho, Praefectus aulae	Excubitor
Sabinianus, Legatus	Nuntii III
Phocas, Dux exercitus	Trophimus
Astrologus	Pseudolus, Filius Trophimi
Philippicus, Frater	Theodorus
Iustitia	Iustinus
Cives V	Valens
Animae interfectae II	Clemens, Filii Mauritii
Christus	Carnifex
Misericordia	Lictor
Priscus, Frater Phocae, Dux Praetorianorum	
Milites V	
Theodulus, Legatus	Chorus
Tubicen	Chorus Militum

## Actus primus Scena prima

<Mauritius, Agatho>

*Mauritius regni curas et molestiam inter ancipitem belli fortunam exponit.*

Maur. Quisquis potenti scepra moderatur manu  
Gladiumque Caesar stringit, excelsa caput  
Victus corona, purpura clarum latus  
Auroque fulgens, discat exemplo meo,  
Non omne, quidquid splendet in Regum throno, 5  
Esse ambiendum; fallere superbum decus  
Fallique, requiem quotquot ex aulis petunt.  
Primos honoris Caesar ut pressi gradus,  
Pressi et laboris; torva regnantis quoque  
Pavidum satelles cura post tergum stetit, 10  
Timorque cinxit. muricis Tyrius color  
Aurique fulgor luce deceptos sua  
Perstringit oculos; magna tempestas latet  
Sub hoc sereno. casibus multis patet,  
Quicumque celsas imperi sedes tenet. 15  
Experta loquimur. vile nos omni loco  
Vrget periculum; pace suspecta fruor,  
Ancepsque Martis alea est, raros habet  
Sors haec recessus, ipse vix tutus comes  
Laterisque custos; nemo distinctus satis 20  
Ab hoste amicus, hostis ab amico mihi est.  
Quid plura? summa mole bellorum Ducis  
Humeri gravantur. quidquid infestus modo  
Chaganus Avarum Ductor in Graecos fuit,  
Nobis timendum est. cum ferox atram vehit 25  
Auster procellam, saepe quatiuntur cedri,  
Quercus petuntur; parva nil humili timent  
Arbusta valle. Christe, bellorum arbiter  
Pacisque princeps, cuius ad nutum cadit  
Victor superbus, cuius ad nutum quoque 30  
Humilis supino victus erigitur solo,  
Adsis precanti: causa bellandi tua est.  
Qui nos lacessit hostis, est hostis tuus;  
Mecum peribit aut triumphabit fides,  
Religio, pietas. occumbam victus tibi. 35

- Agath. Male ominari parce; Mauritius suis  
 Hostique superest. victor inimicos Duces  
 Habet animorum conscios fractisque adhuc  
 Armis paventes. una Persarum cohors -  
 Te teste iam mortalis - exemplum tuae 40  
 Virtutis immortale succumbens fuit.  
 Adhuc calentes sanguine Hormisdae manus  
 Avarus veretur Bara, germani tremit  
 Ad fratris iras, mascula indignos toga,  
 Barbata mulier. Cosrhoes victor tuo 45  
 Triumphat ense. tota Graecorum tibi  
 Fortuna nunc togata, nunc plausit sago.
- Maur. Quae plausit alas saepe, nonnunquam avolat.
- Agath. Generosa virtus cuilibet sorti imperat.
- Maur. Aliquando virtus premitur.
- Agath. at nunquam diu, 50  
 Non omnis atra nube sepelitur dies;  
 Persaepe nebulis Phoebus evolvit caput.
- Maur. Victoriarum cursus abruptus stetit,  
 Hostis tropaea surrigit; nimia ebrius  
 Iam sorte fertur.
- Agath. ebrios praeceps rapit 55  
 Quandoque casus.
- Maur. auxit imperium nimis.
- Agath. Quodcunque nimium est, mole procumbit sua.
- Maur. Et miles ingens sequitur armorum fidem.
- Agath. Et multitudo saepe confudit suos.
- Maur. Successibus ferociunt.
- Agath. rabidi solent 60  
 Canes ligari.
- Maur. noster ex claustris rudis  
 Ad arma miles venit.
- Agath. infractum dabit  
 Pietas vigorem, pulchrius credent mori  
 Quam sacra prodere hostibus, patriam, fidem.
- Maur. Quis horror animum concutit? venae rigent, 65  
 Et mens futuris anxia pavescit malis.  
 Meliora, Superi!
- Agath. vertat hoc omen Deus.  
 Quodcunque metuis, sternat inimicos malum.

## Scena secunda

<Mauritius, Sabinianus>

*Sabinianus Legatus Rom. Pontificis Mauritium ob compulsos ad bellum Monachos execratur.*

- Sabin. Hierarcha summus orbis ac Romae caput,  
Gregorius, humiles Caesari defert preces; 70  
Contraque diras, aequa si minus queat  
Suadere precibus. nempe Mauritius sacra  
Violavit amens: claustra Monachorum novo  
Laxavit ausu. vertere hos togam sago,  
Galea cucullum iussit, indignos Deo, 75  
Quos bella caecos atque mutilatos habent,  
Male subrogavit. obviam huic igitur feror  
Legatus hosti, leviter armatus quidem,  
Sed fretus astris, literis fretus meis.  
Si vincat, illa Caesaris clades erit; 80  
Triumphat is, si vicero. caelum, fave,  
Aggrediar. ecce, Caesar incedit procul,  
Habitu dolentis moestus et vultu gravis.  
Praeoccupabo leniter. salve inclyte  
Orbis Monarcha. nuntiat summus tibi 85  
Roma salutem Praesul et sanum cupit.
- Maur. Num pax ab urbe est?
- Sabin. litterae, spero, dabunt;  
Gregorius illas destinat.
- Maur. gratiae quidem  
Si laeta regno nuntiet. aditus placet; 90  
Progressus est severior. quid hoc? preces  
Inflectit, etiam gravibus insurgit minis  
Nosque innocentes terret atque insons caput  
Vult fulminari. quae reum causa efficit?  
Parata in hostes arma? sint Monachi licet,  
Quos arma iubeam ferre, sunt Monachi quoque, 95  
Quibus est timendus hostis et quos imminens  
Tangit periculum. propriam quemvis decet  
Causam tueri.
- Sabin. causa Monachorum Dei est.  
Huic esto curae.
- Maur. et causa communis Dei est.  
Deus volentes adiuvat, inertes premit. 100  
Arma arma tractent, arma pro patria ferant,  
Vita ac salute.

- Sabin.                                   potior haec erit salus  
Nescire bellum.
- Maur.                                   Caesari pares volo.
- Sabin. Si regna tecum possident, aequa exigit.  
Reges tuentur regna, sed Monachi chorum.                                   105
- Maur. Nescis eadem clade, qua regnum perit,  
Monachos perire? paria metuimus mala.  
Simul occidendum est.
- Sabin.                                   mortis arbitrium suae  
Vitaeque Superis tradidit, quisquis Deo  
Servire coepit.
- Maur.                                   vilis haec vita est tibi,                                   110  
Qua fruimur? hostis exigit, ratio iubet  
Hanc nos tueri; Pontifex tantum vetat.  
Quem, vis, sequamur?
- Sabin.                                   sceptra tu Caesar geris,  
Sceptra tuearis; cella Monachorum est decus.  
Hanc siquid ultra et hostis et amicus rogat,                                   115  
Vitam pacisci pro fide Monachi solent.
- Maur. Ita nempe cupimus, pro Deo, patria, fide  
Pugnam auspicamur, morte generosa licet  
Occidere. Roma serius misit preces,  
Iam sunt in armis.
- Sabin.                                   Roma Monachorum est caput:                                   120  
Hinc iussa capiunt.
- Maur.                                   Caesaris nomen gero  
Regoque Reges.
- Sabin.                                   Pontifex iubet; cave,  
Spernas iubentem: fulmina et diras iacit.
- Maur. At tela Caesar. effer hinc, agedum, pedes;  
Imperia reliquis Caesares solent dare,                                   125  
Accipere nunquam. Roma Pontificem suum  
Veneretur, urbs haec nostra cognoscit suum;  
Divisa sors est.
- Sabin.                                   multiceps nunquam fuit  
Ecclesia: unum est corpus atque unum caput.
- Maur. Omitte verba. dimicat Caesar manu,                                   130  
Lex est in armis.
- Sabin.                                   igitur imbelles putas?  
Fulminea gerimus arma. nunc hostes habe,  
Quos sic amicos respuis. te, te impium  
Putensque membrum Roma divulgum suo  
A capite resecat. pereat et sortem sibi                                   135  
Ferat alienam, quisquis alienus Deo est.
- Maur. Abscedit igitur! abeat in malam crucem;  
Suumque repetant impiae autorem minae:

Benefacta non agnoscit, ingratus furit.  
 Causae favere decuit. hanc ratio probat,  
 Iustitia suadet. Coelites etiam favent, 140  
 Solus reclamat Pontifex. bene est, iuvat  
 Meminisse factum. Roma me suum hactenus  
 Immerita sensit; merita nunc hostem feret.

### Scena tertia

<Mauritius, Agatho, Phocas>

*Phocas Dux exercitus militum suorum captivitatem nuntiat eorumque exiguo lytro redemptionem frustra ab immiti Mauritio flagitat.*

Phoc. Salve Imperator.  
 Maur. itane? te video, Phoca? 145  
 Vbi miles? ut quid solus ac moestus redis?  
 Phoc. Periiimus. urbem, Caesar, ut salvam tibi  
 Tuisque serves, arma pro muris gerat  
 Civilis acies; miles aut ferro iacet  
 Aut vincla captus tolerat.  
 Maur. o pudor ac scelus 150  
 Nunquam expiandum! noster hic miles iacet?  
 Phoc. Bissena capitum millia tuorum iacent  
 Totidemque capti serviunt, paucos vagus  
 Subduxit error hostibus, restat nihil.  
 Maur. Nefanda belli capita, militiae probra, 155  
 Propudia regni, patriae indignum genus,  
 Ignaviae mancipia, corvorum cibus,  
 Sic vos salutem Graeciae, regni decus,  
 Populi salutem, Caesarem, domum, fidem  
 Scythae feroci prodere; immanem Getam 160  
 Et servitatem perpeti? foedis minis  
 Porrigere vinclis saepe victrices manus!  
 Cur sic adultam gloriam, laudem Patrum,  
 Tropaea veterum, Graeciae invictas opes  
 Segnes nepotum barbaro ac turpi iugo 165  
 Subiicimus?  
 Phoc. augur, Caesar, infelix nimis.  
 Ignavia Ducis, quaeque bellorum arbitra est,  
 Fortuna retro sola pugnantes tulit.  
 Maur. Fortuna timidos frangit, infractos timet.

Phoc.	Quid sors in armis ponit et virtus simul, Hostis docebit. ille Graecorum timor, Chaganus, ille victor occubuit quoque Stragemque nostram strage cumulavit sua.	170
Maur.	Ergone miseris Numen in rebus favet?	
Phoc.	Qui vicit armis, peste nunc victus cadit. Tota populatur castra fatalis lues. Cecidere gnati, miles in campis iacet; Ducesque primos hausit infelix malum, Sacrilega postquam templa violavit manus. Vidi per agros faeda diffusos procul Inficere ventos corpora et corvis dari Miserante nullo; funeri non est honos, Aether sepulcrum est omnium.	175
Maur.	nostris dabit	
	Hostilis illa plaga remedium malis.	
Phoc.	Arma reparemus, si quid a tergo ferox Hostis minetur. poterit averti malum Cladesque belli. liberos rursus tuos Restitue castris milites, lytro potes. Et nisi redemptos eximis, ferro cadent.	185
Maur.	Quos mihi recenses?	
Phoc.	milites, Caesar, tuos.	190
Maur.	Meosne?	
Phoc.	cur sic ambigis?	
Maur.	non sunt mei, Qui vincla manibus induunt, collo iugum. Mei aut solebant vincere aut pulchre mori.	
Phoc.	Est illa pietas hostium, servant tibi, Quotcunque vinclis attinent.	
Maur.	non est pium Servare nobis impios. patriam ac fidem Male prodiderunt. occidant, non sunt mei. Quisquis periculum Caesari deses creat, Meruit perire.	195
Phoc.	singulos, Caesar, licet Redimere nummis singulis.	
Maur.	equidem hos darem, Cito ut perirent.	200
Phoc.	propria praesidia abiicis Hostemque munis.	
Maur.	nemo praesidio fuit, Qui cadere miles metuit et patriam suae Iners saluti posthabet.	
Phoc.	cladem novis Pensabit armis; dedecus tantum, rogo,	205



	Purgare liceat. semper in manu tua est Punire, quemvis parceris; sed cum semel Tollis nocentes, parcere his nunquam licet. Inflexe mentem.	
Maur.	nempe perfidiae, reor, Haec postulatis praemia, indultum scelus Impune crescet: discet exemplo fugam Desertor aquilae miles et asylum suae Aliquod saluti quaeret a bello procul. Huic consulendum vulneri, ubi crudum est, puta.	210
Phoc.	Meliora, Caesar, loquere. nos casus modo Destituit, at nunquam animus.	215
Maur.	animosi solent Superare casum. semper audaces iuvat Fortuna. turpe est porrigere vinctas manus Tibi vinciendis.	
Phoc.	nemini turpe hoc fuit, Vitare quod non licuit; haec solum via Clauso supererat militi, ut fugeret necem.	220
Maur.	Praeoccupandus hostis insidiis erat.	
Phoc.	Quam strenue actum, testis haec erit mei Capitis ciatrix, pectus adversis adhuc Plagis apertum; pateat hac certe via Tibi noster animus.	225
Maur.	militem fidum, ut decet, Te mihi probasti, ceteros nunquam probas.	
Phoc.	Miserere, Caesar, militum: pro te ferunt Haec vincla.	
Maur.	frustra es. pereat ignavum genus, Nec asse cunctos redimo.	
Phoc.	supplicia manent Horrenda miseros.	230
Maur.	sic decet, pereant male; Quisquis nocenti parcit, ipse fit nocens. Absiste: noxae cum faves, noxam patras.	
Phoc.	Adeone vilis Caesari est miles suus? Quanta haec tyrannis Caesari, ut vili omnium Nummo salutem negligas, quantum nefas?	235
Agath.	Superbe sic tu Caesari? hos pgnos ede. Ita expianda est laesa maiestas Ducis.	
Phoc.	Vbi sum? protervas aspicias, Caesar, manus?	
Maur.	Et os protervum.	
Phoc.	nullus asistit Phocae? Nemo ultionem postulat?	240
Maur.	quisquis facit Luenda, patitur.	

Phoc. Caelitum fidem invoco:  
 Sum provocatus scelere, par reddam scelus.  
 Abiere? nempe miles et Phocas parum  
 Regi aestimantur, victimas morti dabit. 245  
 Vt haec feramus desides? hoc, hoc caput,  
 Hanc testor ense dextram armatam suo;  
 Pugnaeque vulnereque caelestes faces  
 Testes meorum. Caesar, in caput tuum  
 Hostes amicosque excitas, tantum nefas 250  
 Non erit inultum. vilis est miles tibi?  
 Et vilis esse militi Caesar potest.  
 Illusus ac despectus et pugnis quoque  
 Hinc lividus Phocas abit? alius brevi  
 Ad vos redibit, facta nisi fallant mea. 255  
 Quod si neget fortuna praesidium Phocae,  
 Virtutis atque audaciae auxilium petam.  
 Dabis ultionem, quisquis inimicus mihi es.

### Chorus

I.  
 Ch. Heu, bellantis miseranda nimis  
 Fortuna viri, sive ferocem 260  
 Pugnet in hostem durumque Getam,  
 Sive remissis pace manipulis  
 Locet Euboeis vallibus arma:  
 Quoties arctis premitur rebus!  
 Et vix lacero contracta sago 265  
 Membra recondens, spicula solis  
 Boreaeque tulit! quoties nigra  
 Livet inedia lassusque fame  
 Manibus fractis vix arma regit;  
 Et, quae rerum suadet egestas, 270  
 Crimina saevo perpetrat ausu!  
 Vix tam rarum est atroxque scelus,  
 Quod miles inops audere nequit.

II.  
 Quisquis Martem prior esse Deum  
 Finxit et acrem iussit in hostem 275  
 Prodire Scytham, gladium quisquis

Hastamque novo protulit usu,  
Debuit hasta gladioque premi.

I.

Quoties, postquam Marte faventi  
Fluit in plenos fortuna sinus 280  
Et Persarum dives spoliis  
Miles abundat, quoties luxu  
Stagnat inertis bellica virtus!  
Et quae duris viguit rebus,  
Fracta secundis cum sorte iacet, 285  
Hosti spoliolum ludusque suo!  
Vix tam rarum est atroxque scelus,  
Quod Marte potens audere nequit.  
Levis est scelerum Bellona parens.

II.

Quisquis regnum Marte parandum 290  
Primus docuit, sanguine quisquis  
Sceptra tueri pretioque suam  
Vendere vitam, debuit arcto  
Primus Phalaris mugire bove.

I.

O quam levibus fortuna Notis 295  
Concita, victum transit ad hostem,  
Partis mutans vincla coronis!  
Quot speratos ante triumphos,  
Libitina metit! quos nequit hostis  
Crudus atroci tollere ferro, 300  
Hos inimico sidere coelum  
Aut infami funere lictor  
Aut Dux nigra lividus ira  
Rapit indignans. omnibus uni  
Mala mors Marti casibus instat. 305

II.

Quisquis scelerum vitare fretum  
Et virtutum mille Charybdes,  
Dubiae scopulos mille salutis  
Vitaeque cupis: depone sagum,  
Paucos Mavors aequus amavit. 310

## Actus secundus Scena prima

<Iustitia>

*Iustitia vindictam Mauritio instruit.*

Iust. Astris relictis poscor ad scelus novum  
Iustitia vindex. Mauriti, ah demens nimis!  
Cur innocentum sanguis effusus iacet?  
Cur vidua squalent claustra? cur pietas suis  
Spoliata membris luget? et gnatum parens, 315  
Vxor maritum plorat? his etiam domi  
Negas sepulcrum, coniugis cineres nequit  
Coniux mereri, terra fatalis procul  
Vix insepultos colligit, pascunt aves.  
Pro te salutem pactus et vitam et necem, 320  
Haec praemia refert? ista nunc pietas tua est,  
Vt claustra spolies? ultimae tradas neci  
Licet immerentes, quosque subduxti Deo,  
Prodas furenti barbaro et gladio seces?  
Ingrate Caesar, deerat hoc unum scelus, 325  
Vt hi perirent, ipse quos hostis tibi  
Servare vellet? caecus, ah, nimium furor,  
Vecors potestas! perge, quo praeceps abis.  
Ruina praesto est; sceleris inveniam modum  
Iustaque iniquam morte pensabo necem. 330  
Pronaea, tu nunc astra dispone ocyus,  
Nuntia malorum. trepidet, ignoret tamen  
Futura Caesar; magna pars erit mali  
Formido poenae ferre, quod timuit diu.  
Si quando in ortum, Phoebe, revolutus diem 335  
Mundo abstulisti, conde nunc tenebris iubar.  
In nocte melius Caesaris stupens nefas  
Videbit orbis, lucet in tenebris scelus.  
Dehisce, tellus; evome receptas tuis  
Vmbras sepulcris, Caesarem visant suum 340  
Animae Chagono proditae, obtrudant scelus.  
Violata promant sacra, Monachorum domos  
Male viduatas. militi nolens suo  
Occurrat et, quos respuit vivos, ferat  
Orco receptos. crimine fruatur diu. 345

## Scena secunda

<Agatho, Astrologus>

*Agatho aulae Praefectus horrendam solis eclipsin ab Astrologo intelligit Caesari male ominatam esse.*

- Agath. O magne caeli praeses et lucis parens,  
 Quo nunc recedis, Phoebe? cur subita diem  
 Sub nocte mergis? num quis infelix solum  
 Rursum Thyestes occupat? an orbis suo  
 Senio laborans fessus in finem ruit? 350  
 Iam nunc in ortum solis ablatum iubar,  
 Coelum, remitte; videat interitum suum,  
 Quemcunque clades ista designat virum.  
 Audimur? ecquod emicat lumen procul?  
 Fatalis ista est flamma, sanguineum rubet, 355  
 Mucronis acies stringitur, et armis polus  
 Minitatur orbi; ni leve Superi gerunt,  
 Gravis ira terris imminet, nunquam hae micant  
 Impune flammae. Coelites vertant malum,  
 Hostesque metuant sidera et gladium suo 360  
 Cruore tingant. horreo, invitus tamen,  
 Gelidisque pressus artubus sudor fluit;  
 Quoscunque tangat, magna pernicies adest.  
 Astrologus istic prodit, ut causam explicet.  
 Subsistit, astris inhiat et caeli vias 365  
 Explorat omnes, arma nunc artis rapit.  
 Nunquid dioptris utitur? nunquid vitro  
 Radios cometae colligit? quid nunc aqua?  
 Mox evocabit sidera in terram, reor.
- Astrol. Portenta vix maiora genuerunt poli. 370  
 Ita Deus adsit Caesari, magnum caput  
 Magna ruina petitur, eclipsi sua  
 Sol auguratur, Mauriti, eclipsin tuae  
 Vitae ac salutis: nulla tam tristis diu,  
 Tam lenta, tam profunda nox tenuit polum. 375
- Agath. Male auguratur; nolit hoc omen Deus.  
 Astrol. Sed iste nunc cometa, quam ferox rubet!  
 Caput Leonis obsidet, quantum liquet;  
 Gladiumque Geminos versus ex ore evomit,  
 Fatale sidus! liberis certe tuis 380  
 Acuitur ensis, Caesar, et capiti tuo.  
 Errare cupiam.

- Agath. tristis es vates nimis.  
Meliora loquere.
- Astrol. quod loquor, non est meum.  
Loquuntur astra, saepe quae verum docent.
- Agath. Sed mentiuntur saepius.
- Astrol. cupiam modo 385  
Docere falsa.
- Agath. forsan autorem quoque  
Signant malorum, si quid ex ipsis patet.
- Astrol. Caput Leonis fortem et intrepidum Ducem  
Portendit, unde gladius exoritur ferox.  
Sed aucupandum est nomen, hoc etenim iuvat 390  
Scivisse. Superi, regite nunc sortes mihi:  
Haec urna teneat literas, hinc nunc traho.  
Φ erit, ab illo nomen incipiet Ducis!
- Agath. Stupenda loqueris, melior eventus ferat  
Secunda regno fata. Mauritius diu 395  
Felixque regnum teneat, ac hostes ferant,  
Quascunque caeli sidus intendit minas.

### Scena tertia

<Mauritius, Agatho, Philippicus>

*Mauritius, anxius post exploratam literariam de sua fortuna sortem, Philippicum fratrem ob Φ malo omine eductum tanquam insidiatorem in vincula coniicit.*

- Maur. Eheu, futura sorte praesagus dolor  
Quassavit animum, pectus ignoto sibi  
Trepidat pavore, grande naufragium imminet 400  
Ab hac procella, terra iam dudum mihi est  
Infesta, demum totus armatus polus  
In me meosque. Mauriti, quid nunc agis?  
Φ tibi timendum est. nempe simulatis tuum  
Malum ex amicis astra metuendum docent. 405
- Agath. Ne crede, Caesar; astra nascuntur polo  
Pereuntque cunctis sorte communi viris.  
Non lucet uni Phoebus aut uni perit;  
Suas ministrat omnibus pariter faces  
Pariterque tollit. quidquid hinc times, tuum est 410  
Simulque nostrum. sensibus coelum caret,  
Nil praevidere poteris. hic si quid vides,  
Natura rerum peccat et mundi tenor.

- Maur. Quicumque regna possidet, morti satis  
Cavere nunquam potuit; inimicos timet, 415  
Timet et amicos, mille nos docent sua  
Metum ruina. Caesarum primum decus,  
Dominator orbis, Iulius, Romae caput,  
Stravit inimicos: stratus ab amicis iacet.  
Sic ille Martis terror ac princeps soli 420  
Miser triumphos clausit, infelix sua  
Felicitate; forte me similis premet  
Fortuna regni. frater, ah! nomen geris,  
Philippice, nimis sorte suspectum tua.  
Dudum propinquum Regis obvallas latus 425  
Nostraque fretus gratia, belli geris  
Pacisque iura, Caesari ac fratri pari  
Honore iunctus semper et sortis comes.  
Deserere regem poteris et fratrem impio  
Lacerare ferro? sancta, quo, pietas, abis? 430  
Philippice, tuus mucro me perimet? tuus?  
Fratris et amici? dextra, quae toties fidem  
Oblata pepigit? blanda frons, quali obtegis  
Colore fraudes? blanda vox, quantos habes  
Cordis recessus? sed age conceptum nefas. 435  
Periisse sic iuvabit, innocuus tuum,  
Parricida, facinus Manibus et umbris querar;  
Vmbrae pavebunt, vix dabunt sceleri fidem.  
Etiamne dubitas, haesitas, palles, times?
- Philip. Absiste, nimius pectori incumbens dolor, 440  
Permitte vocem. o Caesar, hoc solum eloquar:  
Petis innocentem. si quod in fratre est nefas,  
Ille, ille mecum pereat absumptus dies,  
Quo cogitavit animus.
- Maur. hoc crimen neges,  
Periure, quod nunc astra spectandum offerunt? 445  
Nunquam latere poteris, excussit diem,  
Tantumque facinus prodit horrescens polus.
- Philip. Quidquid minentur astra, non fiam nocens.
- Maur. Scelus est fateri nolle decretum scelus.
- Philip. Scelus est fateri scelera, cum culpa vaces. 450
- Maur. Culpam fatendo minuimus.
- Philip. ubi non fuit,  
Ibi fit fatendo culpa.
- Maur. quid perdo minas?  
Moriere.
- Philip. moriar innocens.





Sceleri invitam tribues laudem,  
Merita virtus laude carebit.  
O servitium deforme viris!  
Sed qua tantus mercede labor  
Pensandus erit? gratia fallax 495  
Et spes fictis delusa bonis,  
Favor eversus saepe furore,  
Amor inconstans odiumque Ducis  
Aulae pretium munusque tuum est.  
Qualis variis agitata Notis 500  
Fluctuat anceps aura susurris,  
Nunc rubicundo laeta sereno,  
Nunc infestis maesta procellis,  
Aulae talis fortuna fluit.  
Regum vultus mentisque favor 505  
Facili nutant impulsa Noto.  
Multos laevior sustulit aura  
Altumque dedit; sed versa retro  
Turpi lapsos devolvit humo.  
Humiles Auster transilit ulmos, 510  
Cum luit alta fraxinus umbra.  
Quae cito tollit, sors lapsa premit.  
Aulae quisquis navigat undis,  
Vix sat tutus virtute sua est.  
Aut invidia frangente cadet, 515  
Aut suspicio scopulosa premet.  
Vnica multis satis esse nequit  
Scelerum virtus obiecta dolis.  
Ne fide nimis: quaelibet aulae  
Fortuna vitrum est fragilis splendor, 520  
Status inconstans, ratio vecors,  
Turbata quies, dives egestas,  
Sine laude decus, sine lege timor.

## Actus tertius Scena prima

<Cives IV>

*Cives Mauro homini praepostere asino imposito aliisque coronato illudunt tanquam Imperatori Mauritio.*

- Civ. I. Age, Imperator maxime, invicte, inclyte,  
Incede victor, qua triumphales eunt 525  
Via quadrigae! nempe tutorem suum  
Cives honorant.
- Civ. II. patriae magnus pater,  
Castrorum et urbis dominus, hoc decus meret.
- Civ. III. Quid iste plausus? ecquis occurrit virum?
- Civ. IV. En, quantus Imperator in medio assidet. 530
- Civ. III. Vt fulget ostro!
- Civ. IV. qualis obstipat latus  
Turba famulorum!
- Civ. III. quantus Arcadius adest  
Vectus caballis!
- Civ. IV. accidere pronos decet.
- Civ. III. Salve Imperator: genibus advolvor tuis.
- Civ. IV. Haec veneror ora.
- Civ. I. spargite, pueri, rosas. 535
- Civ. II. Odora fundant balsama patenti domo.
- Civ. III. Haec osculetur sceptrum.
- Civ. IV. purpura haec tegat.
- Civ. I. Io, triumphe; turma civilis fremat.
- Omn. Io, triumphet.
- Civ. I. civium vivat pater.
- Omn. Io, triumphet.
- Civ. II. militum vivat decus. 540
- Omn. Io, triumphet.
- Civ. III. hostium vindex regat.
- Omn. Io, triumphet.
- Civ. IV. pacis assertor novae  
Bellique fulmen, Mauriti, vive et rege.

## Scena secunda

<Mauritius>

*Mauritius illusionem civium turbatus suis rebus male metuit.*

Maur. Etiamne nostris civis illudit malis  
 Suumque ridet Caesarem? quis haec ferat, 545  
 Invisus et contemptus ac vulgi probrum?  
 Metuenda nondum tela vibramus manu?  
 Non fulminamus scelera nec tantum nefas  
 Mandamus orco? Mauriti, segnis nimis,  
 Cur hic moraris? nominis igitur tui 550  
 Ac dignitatis immemor, labem hanc tibi  
 Haerere pateris? non patiar, ultum scelus  
 Videbit iste testis ex coelo dies.  
 I nunc, satellites: miles ex castris frequens  
 Accedat urbem, gladius extinguet probrum, 555  
 Ignisque vindicabit et laquei et rotae.  
 Non una poena criminis vindex erit.  
 Meruere, quidquid Phalaris exusto bove  
 Scironque saxis potuit ac pinu Scinis.  
 Vindicta praeceps aderit et totam rogo 560  
 Sepeliet urbem, flamma lucebit diem  
 Facemque sceleri, solus affusus cruor  
 Lacrymaeque cineres abluent. siquid tamen  
 Busto supersit, coniugi coniux suas  
 Sociabit umbras, gnatus accedet patri. 565  
 Sed forte miles obstat infensus tibi  
 Nec iussa dirus audit. avertat Deus!  
 Nisi sit fidelis miles, oppressus iaces.  
 Languet potestas imperi, nutat decus.  
 Eheu! timendum est, pavidus accrescit metus 570  
 Horrorque membra penetrat ac gelido madet  
 Sudore vultus, pectus attonitum salit,  
 Venae coruscant sanguine et trepido iecur  
 Micat pavore, qualis inimico Iove  
 Concussa ventis arbor incerto fluit 575  
 Agitata motu, qualis et Siculo ratis  
 Deprensa fluctu rapitur alterno mari  
 Et huc et illuc, dubia cui cedat Noto.  
 Sic varius animus nutat incerto tamen  
 Fluctu timoris. quo feror turpi metu? 580  
 Imbellis anime, deses ac segnis furor,  
 Quid ante cladem concidis? quos sic times,

His es timendus. Caesaris tanto malo  
 Fortuna levior esse nequaquam potest.  
 Superabit, olim ferre didicimus nefas 585  
 Et quoque ferendo vincere. aperient viam  
 Superi faventem. sensit hoc quondam ferox  
 Hormisda, nostris imminens cervicibus,  
 Nostro repulsus ense. tibi, Philippice,  
 Debemus ista, frater. at virtus tua 590  
 Nunc scelere victa est. Mauriti, quid hic stupes?  
 Novum timoris ulcus hic tangi reor.  
 Metus recurrit. causa metuendi latet.  
 O quis, Philippice, mihi nunc animum subis!  
 Tam fortis armis, tantus in belli impetu, 595  
 Tam gratus urbi, tantus in toga et sago.  
 Quo decidisti! qualis a tanto iacet?  
 Quid miles ausit, fluxa si Ducum est fides?  
 Quid si reposcant milites notum caput  
 Semperque gratum? forte et imperii decus 600  
 In hunc refundent, carcerem foedum throno  
 Regnoque vertent. vincla Mauritius feret,  
 Et sceptrum frater. augur infelix nimis,  
 Cur tuta nimium metuis, insanus timor?  
 Exempla vereor; fervet inconstans suis 605  
 Militia turbis, semper hic novitas placet.  
 Quot castra regnis Caesares aptant novis!  
 Quot castra regnis exuunt vita simul  
 Sceptrisque functos! quid, quod offensus meo  
 Rigore miles, nostra decreta improbet 610  
 Atque eximendos vinculis captos putet?  
 Heu! non metuimus vana: Mauriti caput  
 Parvosque natos ista tempestas petet.  
 Ah, quo doloris unda Mauritium rapis?  
 Quos nostra scopulos, quas petit syrtis salus? 615  
 Quo rapimur aestu? moeror, ah, animam obruis  
 Angorque mentem! ratio, consilium, vigor  
 Vna procella mergitur, sensus hebet;  
 Cervice lassa, totus in terram feror,  
 Oculosque somni languor aut mortis premit. 620

### Scena tertia

<Mauritius, Animae II, Christus, Misericordia, Iustitia>

*Animae interfectae, Christus, Misericordia, Iustitia Mauritium per somnum ad iudicium postulant.*

- An. I. Iterumne caecas linquimus Averni specus  
 Raptaeque luci reddimur? sero nimis  
 Revocamur umbrae Caesari, postquam necem  
 Duro impioque solvimus.
- An. II. iuvat tamen,  
 Iuvat huc redire; scelere Mauritius suo 625  
 Nos provocavit, sceleris inveniet modum  
 Atque ultionem.
- Iustit. magne regnator soli  
 Iudexque Christe, vindices profer manus  
 Et plecte crimen. fusus insontum cruor  
 Haec de sepulcris clamat, et iustum rogant 630  
 Vmbrae tribunal. sequere nunc, Caesar, tuam  
 Dicture causam, sequere. cur nectis moras?  
 Effugere nunquam poteris, impleta est tui  
 Mensura sceleris.
- Christ. improbe, nefande, ultimum  
 Probrum imperantum, Mauriti, talis mihi 635  
 Occurris? homini invisus, ingratus Deo?  
 Agedum, sceleste, debitas poenas dabis.
- Miser. O Christe, mundi tutor atque orbis pater,  
 Miserere.
- Iustit. iudex aequae scelerumque arbiter,  
 Puni nocentem.
- Christ. cingite hinc et hinc latus. 640  
 Iustitia lancem teneat, aequemus bonis  
 Malefacta, causam disserat quaevis suam,  
 Clementia prior. quid refert actum bene?
- Miser. Pauperibus ista Caesar impendit bona.
- Iustit. Sed plura miseris abstulit, circum integras 645  
 Exhaustit oras, censibus, ferro, manu.
- Miser. His coluit aras, Christe, muneribus tuas.
- Iustit. Spoliavit istis.
- Miser. exiit vinclis reos.
- Iustit. Et mancipavit vinculis nunquam reos.  
 Vis plura iungam? claustra Monachorum vide, 650  
 Violata cerne sacra, violatam fidem  
 Hosti ac amicis. Pontifex spretus docet,

	Ecclesiarum iura quo ponat loco. Quae sit tyrannis, innocens Philippicus Iam testis inter vincula expertus gemit.	655
Christ.	Satis est: peristi, Mauriti. lancem vides Pondusque scelerum.	
Miser.	<span style="float: right;">meruit aeternum quidem,</span> Meruit perire Caesar, at supplex modo Veniam precatur.	
Christ.	<span style="float: right;">proditor fidei datae,</span> Vecors tuorum carnifex, adde hoc quoque, Hostis meorum.	660
Miser.	<span style="float: right;">te suum rogat caput.</span> Iustit. Sed putre membrum, quodque praecisum diu Calore vitae caruit.	
Miser.	<span style="float: right;">et fratrem rogat.</span> Iustit. Simulque iustum vindicem.	
Miser.	<span style="float: right;">damnat scelus.</span> Iustit. At sero damnat.	
Miser.	<span style="float: right;">poenitet scelerum, pudet.</span> Miserere, tuus est sanguis ac pretium tuum.	665
Iustit.	Impune magnum nemo dissimulat nefas, Nisi sit iniquus.	
Miser.	<span style="float: right;">dabitur ad poenam nocens</span> Meritumque promptus sufferet poenae genus. Tantum in futurum parce.	
Iustit.	<span style="float: right;">dilatatum nefas</span> Parcendo crescit. noxia est pravus mora.	670
Miser.	Si nemo parcat, tollitur clementia.	
Iustit.	Si nemo plectat, iustitia rursus perit.	
Miser.	Liceat precari: supplices tendo manus. Per illa, Christe, flagra, per spinas sacro Cruore tinctas, per cicatrices pedum Manuumque plagas perque reseratos adhuc Miserantis animi, prona te obtestor, sinus: Noxam fatenti parce.	675
Christ.	<span style="float: right;">cur tantas preces,</span> O Diva, poenis obiicis? iustam diu Scelus ultionem meruit; inflector tamen Ac vincor iterum. Mauriti, poenas dabis, Sed mitigatas. trado, Iustitia, tibi Plectendum in orbe Caesarem; quantum decet, Statue ferendum. mente si sana ferat, Tulisse poenas proderit; quod si ferox Et iam malorum pertinax cumulet nefas, Praesens futuris pondus augebo malis.	680       685

- Iustit. Accipio causam. traditus poenae est reus.  
 Nunc recipe somnum, Caesar; ordimur tibi 690  
 Telam implicatam mortis, horrificam necem:  
 Ita meruisti. militum prodi phalanx,  
 Et filiorum spectra Mauriti patris  
 Stent hinc et inde. mortis infaustae simul  
 Imago subeat; quaelibet chorum suum 695  
 Modo ludat umbra, saltus infelix eat.  
 ☉ praebeat omnes. lictor insurgat minax  
 Et has et illas ense cervices metat;  
 Clademque discat Caesar ac timeat suam.
- Maur. Vbi sum? quis hic locus? quid infaustum patrem, 700  
 Inauspicatum Caesarem, dies adhuc  
 Orbisque recipit? ergo terribilem Styga  
 Orcique tristes vivus evasi rogos?  
 Tremende iudex, mitis exemplum patris!  
 Quod non perimus, ista clementia tua est; 705  
 Iustitia, quod plectemur. en, habes reum,  
 Habes fatentem: cuncta, quae iubes, feram.  
 Horreo, pavesco, somnii memor mei.  
 Supplicia vidi dira, sed feram tamen.  
 Nunc ure, Christe, nunc seca; manus tua 710  
 Feriet nocentem, nulla pars sceleris vacat.  
 Quacunque mittes fulmen, inveniet nefas.  
 Agedum, satelles, carceris laxa fores.  
 Liber Philippicus adsit. ah, utinam quoque  
 Vmbras sepulcris erutas, quotquot neci 715  
 Dedi innocentes, rursus in lucem mihi  
 Revocare liceat! redderem vitam lubens  
 Nostra redemptam morte; pensarem volens  
 His scelera poenis victima infelix necis.

### Scena quarta

<Mauritius, Philippicus>

*Mauritius fratrem Philippicum vinculis liberat et, cum suspectum de regni ambitione habeat, dissimulanter regnum offert.*

- Maur. Philippice, ecce: frater occurro tibi 720  
 Et demo manibus vincla. libertas datur,  
 Licet immerenti. sceptrum cum quaeras mea,  
 Haec sponte ponam, purpuram vili toga

- Mutabo. Rex iam serviam, suo cliens  
 Regi imperabit. unicum tantum rogo, 725  
 Concede vitam; si nihil dominum times,  
 Agnosce fratrem. deprecor solam necem  
 Pro me meisque. sanguini parcas tuo.
- Philip. Quae, frater, haec oratio est? Regem scio  
 Venerorque; vitam subditi tantum petunt, 730  
 Et largiuntur Principes.
- Maur. quot a suis  
 Iacent perempti! multa regnantum docent  
 Exempla raros colere subiectos fidem;  
 Patriae salutem protegunt, metuunt suae.  
 Fatale  $\Phi$ , Philippice, recurrit mihi. 735  
 Formido fratrem.
- Philip. vincla cur demis igitur?  
 Include vasto carceri, manus liga  
 Pedibusque stringe compedes. tantum nefas  
 Eripe volenti.
- Maur. mille sunt sceleri viae.  
 Sicariorum turba per vicos ruit. 740  
 Habes ministros.
- Philip. innocens terra fruar,  
 Coeloque teste nulla me tangit lues  
 Vel cogitati sceleris. et si quid times,  
 Hanc tolle fratri vitam, ut eripias tuam.  
 Nil mortuus nocebo.
- Maur. malo perpeti 745  
 Quam perpetrare facinus. hoc etiam mihi,  
 Fratrem nocentem tollere, videtur scelus.
- Philip. Quid ergo mandas carceri?
- Maur. volui nefas  
 Eripere fratris manibus, hoc pium arbitror.
- Philip. Sine, huc revertar, vincla recipiam mea. 750
- Maur. En, sceptrum do pro vinculis; fratris caput  
 Diadema cingit, poteris in fratrem nefas  
 Titulo tueri Regis et aliquo abdere  
 Tyriae colore purpurae: pulchrum, scio,  
 Dudum nefandis ausibus velum expetis. 755
- Philip. Accusor abs te, iudicor, reus feror.  
 Quis innocentis audiet causam mei?
- Maur. Cives loquuntur propalam tantum nefas.
- Philip. Quod igitur? hos appello. sint testes, precor.  
 Nihil recuso. si quod adfertur malum, 760  
 Me dedo poenis: carceres, rotae, cruces  
 Vertantur in me, Phalaris inflammet bovem;



Torvusque pinum curvet Isthmiacam Scinis.  
Nil parricida deprecor.

- Maur. Philippicum  
Praeferre Regi, criminis satis reor. 765  
Qui te praeoptant, facinus accusant tuum.
- Philip. Non displicere, video, flagitium meum est.
- Maur. Nos execrantur, perditum Regem volunt,  
Non abstinent opprobriis. lapides quoque  
In me vibrantur. publicae Regi viae 770  
Prohibentur, urbis scelere; ludibrium gregis  
Traducor, habitu victus et scenis datus.
- Philip. An causa frater? imputes illi malum,  
Qui tot suorum civium vinclis datos  
Non aestimavit asse, sed crude nimis 775  
Morti immolavit victimas. Rex, cui sui  
Eviluerunt subditi, vilet suis.  
Qui spernit, idem spernitur. sunt hae vices  
Regni et regentis.
- Maur. nempe sic facinus teges,  
Si Regis esse finxeris, quod est tuum. 780
- Philip. Edissere nefas. solus est populi favor,  
Qui me nocentem facit et invisum tibi.  
Ergone nostri hic iuris? an etiam scelus  
Virtute devincire, quos queas, erit?  
Si tibi timendus videor, et cives tui. 785  
Habes paratum militem: custos latus  
Regale stipet, ambiat urbis domos  
Murosque cingat. carceris frater specus  
Reviset, his ergastulis claudet manus.
- Maur. Consilia sequimur. euge, Theodule: ocyus 790  
Ad castra temet confer ac Priscum iube,  
Praetorianas sistere cohortes mihi.  
Reliquus sequatur miles ac urbem prope  
Imperia praestoletur accinctus mea.
- Philip. Ehodum, satelles: vincla reddantur mihi. 795
- Maur. Nondum imperavi; fratris in custodia  
Frater manebit.
- Philip. lucis invisum est iubar,  
Quod Regis invidere fortunae putor.  
Si vincla stringant dexteram, fratrem minus  
Frater timebis.
- Maur. stringerem vinclis manus, 800  
Nisi sic timerem. fratris in aula ex mea  
Custos manebo tutior, oculos iuvat  
Habere testes perfidi aut fidei Ducis.
- Philip. Nec sic repugno, prodet eventus fidem.

## Chorus militum

*Strophe*

- Ch. Omnes coelum commune tegit, 805  
 Omnes aura claudimur una,  
 Omnibus uno Phoebus ab axe  
 Rutilos spargit luce capillos;  
 Omnibus uno tellus gremio  
 parturit amplas sedula fruges. 810  
 Idem vegetat spiritus artus,  
 Cur non eadem fortuna regit?  
 Cur exultat vitiis dives,  
 Praeceptis inopes vindicta ferit?  
 Scelus in rupto centone patet, 815  
 At purpurea sub veste latet?  
 Parcitur aquilis, torva columbas  
 Censura premit? tenues visco  
 Volucres haerent, ardea transit.  
 Graciles captant retia percas, 820  
 Nil delphini phocaeque timent.  
 Saepius amplis crimina regnis  
 Impune latent, humili tantum  
 Tuto nequeunt latitare casa.  
 Laqueo parvum luitur furtum, 825  
 Nil regnorum sibi praedo timet.  
 Sub virtutum nomine Reges  
 Crimina vendunt, plebs vile nefas  
 Cervice luit. regia pulchrum  
 Noxa colorem ducit ab ostro, 830  
 Scelus affuso lucet in auro.  
 Ergo saevum nulla Tyrannum  
 Vindicta premet? luet innocuo  
 Sanguine miles, quod Mauritii  
 Furor insanus rabiesque merent? 835  
 Averte, Deus.

*Antistrophe*

- Varios vario premit axe polus.  
 Aliis alii claudimur auris,  
 Nec mensura dividit una  
 Phoebus radios tellusque sata. 840  
 Mens in toto corpore sparsa  
 Munera variat sensusque suos.  
 Alii Zephyro Phoeboque tepent.  
 Aliis aurum, reliquis ferrum;

Aliis gemmas, reliquis cautes; 845  
Aliis spicas, reliquis spinas  
Eadem tellus regioque parit.  
Alius vegeto corpore floret,  
Alter inertis squalore iacet.  
An causa patet? frustra tenues 850  
Grandia causis pensare suis  
Nitimur: unus sufficit omni  
Causae rector censorque Deus.  
Stulte quereris florere scelus,  
Aulam vitis aurumque coli, 855  
Impune tamen; miseros saeva  
Numinis ira poenaque rapi.  
Quamvis tardo, graviore tamen  
Ardua casu lapsura ruunt.  
Humiles plectunt flumina valles, 860  
Altas feriunt fulmina rupes,  
Habet et saevos ardea milvos,  
Phocaeque suis syrtibus haerent  
Pardique plagis. sit tarda licet,  
Magni sceleris poena gravis erit. 865  
Levius plectunt Superi crimen  
Leviore manu. pueri stricto  
Vimine quodvis scelus expungunt,  
Ast ense suunt laqueoque viri.  
Veniet saevo poena Tyranno, 870  
Tam dura quidem quam tarda gradu.  
Nullum Superis impune solet  
Transire nefas.

## Actus quartus Scena prima

<Phocas, Milites V *et postea* Tribunus>

*Phocas a Militibus Mauritio infensis Imperator deligitur.*

- Phoc. Generose miles, nuper armorum potens  
Et terror hostis, semper invicte hactenus, 875  
Nunc Marte fractus, sorte prostratus tua,  
Vilis superbo Caesari et semper nocens,  
Semel cadendo. quotquot hostilis trahit  
Nostras cohortes vinculis cohors suis,  
Periere ferro; solus hos poterat triens 880  
Eximere, Caesar noluit, mersit Stygi.  
Adeone viles nascimur, quotquot necis  
Vitaeque dubii tela gestamus manu  
Pro Caesare, Deo, civibus, patria, fide?  
Iacent perempti ceteri, vobis quoque 885  
Censeo timendum.
- Mil. I. pecora nos Caesar putat,  
Quos destinavit victimae.
- Mil. II. fungos putat,  
Quae non triumphant.
- Mil. III. vix emat cassa nuce,  
Quos sors fefellit unica.
- Mil. IV. ignorat vices  
Causque Martis, hactenus victoriae 890  
Securus usu.
- Phoc. moenibus tutus latet  
Atque otiosa conditur segnis toga;  
Nostrasque clades spectat, alieno fruens  
Labore, vita, sanguine. in nostrum caput  
Cuduntur arma, tota nos moles premit 895  
Adversitatum; Caesarem fructus manent.  
Siquid peractum est strenue, miles gravi  
Mercede, plenus vulnerum, truncus manus  
Artusque tecta repetit, abiectus, miser.  
Si vincla captus induit, spretus domi 900  
Bellique, vincla redimit infanda nece.  
Haec nempe Caesar praemia rependit suis.  
Aliena nos pericla iam dudum monent,

- Quid sit cavendum; saepe quos transit lues,  
 Aliquando tanget, notus est viri furor. 905
- Mil. I. Est opprimendus unus, ut multis sua  
 Constare possit vita.
- Phoc. facinus est pium  
 Servare multos.
- Mil. I. tu praei nobis viam,  
 Faciles sequemur.
- Phoc. prompta si vultis via est,  
 Sed absque Caesare opprimi Caesar nequit. 910  
 Hic ante deligendus est.
- Mil. I. cupimus Phocam,  
 Phocam sequemur, quo iubet, quo non iubet.
- Mil. II. Phoca, Imperator esto.
- Mil. III. honoretur Phocas.
- Mil. IV. Phocas triumphet.
- Mil. V. et coronetur Phocas.  
 Densate scuta, milites. age sis, Phoca, 915  
 Conscende. miles, Caesarem vides tuum?  
 Huic imperanti servies.
- Omn. vivat Phocas  
 Nobisque felix imperet, regnet diu.
- Mil. I. Caesar triumphet, aemulos sternat suos.
- Phoc. Agnosco munus, debitor tanti manet 920  
 Phocas favoris; nullus obsequia dies  
 Obliterabit tanta, perpetuos retro  
 Implebit annos, quidquid in fidum Ducem  
 Vestri que amantem praemii impensum fuit.
- Mil. I. Virtus honoris debitum munus tulit. 925
- Phoc. Nunc caute agendum, milites. Caesar fuit,  
 Quem petimus hostem; nequid occurrat mali,  
 Censendus ante est miles et viri suis  
 Viresque in armis, castra vigiliis erunt  
 Praemunienda, nequis ad pavidam timor 930  
 Emanet urbem. cetera eventus feret.
- Mil. I. Ab urbe nil timemus, haec etiam tuis  
 Coeptis favebit, funere Tyrannum ultimo  
 Componet avida. quae tot indignas neces  
 Adhuc suorum luget, et merito dolet 935  
 Carere busto Caesarem.
- Phoc. bene est. Notis  
 Fluunt secundis vela; pacatum brevi  
 Tenebo portum, navibus tutis ferar.  
 Favete, Divi. maria sulcamus nova.
- Trib. Vive, Imperator: nuntius castris pedem 940  
 Infert ab urbe, postulat Priscum Ducem.

- Phoc. Quid inquis, urbe missus ad Priscum venit?  
 An forte quicquam suboluit cato seni?  
 Cur postulatur Priscus? an Phocae immemor  
 Mauritius esse poterat? explorat fidem. 945  
 Tenemus. agedum, miles, obvalla latus;  
 Et nil loquatur nilque factorum audiat  
 Sine teste, missum Priscus admittat virum,  
 Mihi referantur acta.
- Trib. iam promptos habes,  
 Imperia qui sequantur ad nutum tua. 950
- Phoc. Rarum fidelis miles est Regis decus:  
 Nil me latere cupio. difficiles habent  
 Imperia curas prima, rumpendus aditus  
 Persaepe ferro est, forte supremum alteri  
 Militiae honorem deferet. Phocae hoc erit 955  
 Periculosum. pendet inconstans favor;  
 Ex munerum bilance, qui donat, trahit.  
 Suspecta forte nostra consilia occupat  
 Priscumque demeretur argento sibi;  
 Aut vertit arte. posset in nostrum caput 960  
 Procella stringi. si quid hic poteris, Phoca,  
 Praeoccupandum est. gladius aperiet viam,  
 Tollendus est Mauritius, ut vivat Phocas.

## Scena secunda

<Priscus, Theodulus>

*Priscus Phocae frater, Dux Praetorianorum, Legatum Theodulum a Mauritio ad se missum excipit.*

- Prisc. Quid agimus? urbe nuntius missus venit  
 Priscumque poscit. ergo negligitur Phocas, 965  
 Et me priorem Caesar hoc pacto probat?  
 Audire gestit animus. i, miles: iube,  
 Legatus adsit. cinge venientis latus.  
 Mutire nullus ausit iniussu meo.  
 Ignoret ille Caesaris titulum Phocae, 970  
 Mauritius omne nomen et honorem ferat  
 Cunctisque praesit.
- Theod. principum salve decus,  
 Generose Prisce: Caesaris iussa adfero.
- <Prisc.> Eloquere, debet Caesari obsequium cliens.

Theod. Praetorianos milites urbem prope                      975  
Adesse voluit.

Prisc.                      nunquid adversi timet?

Theod. Quid timeat, equidem nescio. Prisco iubet  
Ductore fieri.

Prisc.                      quid Phocas dicet, mihi  
Posthabitus isto munere?

Theod.                      imperium fero,  
Erit obsequendum.

Prisc.                      satne provisum putas                      980  
Venienti ad urbem militi?

Theod.                      cautum satis.

Prisc. Nihil morabor. nuntium tecum feram,  
Adesse promptum Caesari Priscum suo.  
Inibi operire. militem cogam meum.

Theod. Sic fiet.

Prisc.                      intus miles excubias agat.                      985  
Caute hic tenendus hospes, ut facta lateant,  
Facienda constant. Prisce, quo vertes modo  
Consilia? dubio fluctuat ratis mari.  
Scylla et Charybdi navigas anceps fretum.  
Mauritius inde Caesar atque illinc Phocas,                      990  
Hic frater etiam. pergis invito Phoca?  
Natura fratrem, Caesarem propria quoque  
Fecit voluntas. restat hoc unum, reor,  
Communicentur iussa Mauriti Phocae.  
Vterque statuet rectius, quid facto opus.                      995  
I modo, satellites: fratris accessum pete.

### Scena tertia

<Priscus, Tubicen, Milites, Phocas, Excubitor>

*Priscus militibus iam a Phoca metuente per Tubicinem convocatis adest  
et re consilioque exposito fratri metum adimit.*

Tub. Arma, arma, miles. Caesar armatas iubet  
Adesse turmas nec mora actutum iubet.

Prisc. Quid hoc? cohortes Caesar ad bellum vocat?  
Quis iste? Mauritius, an est Phocas?

Tub.                      tuum                      1000  
Fratrem esse nescis Caesarem? Phocas iubet.

- Prisc. Perplexa res est, evocor; et ibit Phocas?  
Erit adeundus, propero. geminatae domum  
Cingant vigiliae.
- Mil. I. Priscum ad fores  
Adesse dicas Caesari, affatum rogat. 1005
- Excub. Negat vacare.
- Prisc. nuntia fratrem rei  
Venisse magnae, petere, semoto arbitro  
Conferre liceat.
- Excub. aderit hic coram brevi.
- Phoc. Quis ergo poscit Caesarem?
- Prisc. salve optime  
Cum fratre Caesar.
- Phoc. hunc neges titulum mihi. 1010  
Mauritius ante fratris obsequium placet.  
Legatus ad te transit et nescit Phocam.
- Prisc. Prisco imputabis, quando Mauritius iubet?
- Phoc. Non audiendus fuerat aut, si quid tulit,  
Communicandum.
- Prisc. causa veniendi haec fuit. 1015
- Phoc. Deprome.
- Prisc. cedant arbitri, solum peto.
- Phoc. Sat fida lateris turba, secreti est capax.
- Prisc. Consilii tantum posco. Mauritius sibi  
Adesse iussit militem Praetorii.
- Phoc. Ductore quo?
- Prisc. me iussit ire.
- Phoc. cur Phocas 1020  
Nequit esse Ductor?
- Prisc. Caesar est, nemo potest  
Huic imperare, iussa partitur aliis.  
Vt cautum abunde fratris imperio foret,  
Hac mente veni, nolui quicquam Phoca  
Non imperante.
- Phoc. sic decet Priscum loqui, 1025  
Hunc veneror animum. sic agam, fratrem ut scias  
Tibi imperare.
- Prisc. et obsequi fratrem scies.
- Phoc. Age, nuntietur igitur, ad muros brevi  
Tuum adfuturum militem. fratri comes  
Post terga iungat, speret auxilium dari 1030  
Mauritius, urbis coepta propellet favor.  
Quam prompta virtus nescit, hanc scenam valet.  
Implebit astus.
- Prisc. ut iubes, factum dabo.
- Phoc. Solerter, ut ne resciat.



- Prisc. clausi domo  
Custodiaque nuntium, ne quid rei  
Constet peractae. 1035
- Phoc. callidum facinus probo.
- Prisc. Vt tutiore cuncta perstarent loco,  
Manere iussi, castra dum miles simul  
Comes moveret.
- Phoc. sic decet, tuti sumus. 1040  
Adeste, proceres; miles ad signa coeat,  
Iam nunc migrandum: noxia est quaevis mora.  
Primi favoris aura dum classem rapit,  
Est navigandum; saepe post placidos Notus  
Zephyros tumescens traxit in praeceps rates.

### Scena quarta

<Priscus, Theodulus *et postea* Tribunus>

*Theodulus Priscum re cognita pro Mauritio anxium vafra pollicitatione  
ad spem reducit.*

- Theod. Periculosae nuntium tracto rei. 1045  
Auxilia posco Caesari. quid si petam  
Infesta potius arma? perniciem adferam,  
Ex quo salutem, Mauriti, speras tibi.  
Obvallor armis, hinc et hinc miles mihi  
Taciturnus adstat vixque dignatur loqui 1050  
Etiam rogatus. haud amicorum arbitror  
Hospitia tam coacta; Legatos decet  
Aliter haberi Caesaris. quid, quod palam  
Novum audiatur Caesaris nomen Phocae?  
'Phoca Imperator, vive; morere, Mauriti', 1055  
Iam cantilena est, innocens passim haec canit  
Puerilis aetas, castra cum tubis sonant.
- Prisc. Quid iste loquitur? proditi certe sumus,  
Vulgata res est.
- Theod. miles imprudens quoque 1060  
Haec verba fudit: 'Caesar id iussit Phocas.'  
Dubitare nil licebit, eversi iacet  
Fortuna regni, possidet titulum Phocas;  
Nisi providemus, sceptrum corripiet brevi.  
Mauritius haec iam literis didicit meis.
- Prisc. Periimus.

- Theod.                    istis obviam, spero, malis                    1065  
 Maturus ibit. viribus abundat satis;  
 Nisi parcat opibus civis, aversus licet,  
 Pecuniarum pondere in partes ruet.  
 Quemvis favorem civium donis emam.
- Prisc.                    Consilia certe vafra, plus fungo sapit                    1070  
 Legatus iste. quid ago? quas partes sequor?  
 Nam rebus etiamnum integris frui licet.  
 Fratri obligaris, ante Mauritio tamen  
 Fidem dedisti.
- Theod.                    Prisce, quam stulte negas                    1075  
 Fidem imperanti! tribuit is tantum tibi,  
 Suam ut salutem crederet. Phocam tacet,  
 Te iubet adiri.
- Prisc.                    vulnus haec oratio  
 Infligit animo.
- Theod.                    neminem voluit sibi                    1080  
 Esse propiorem. fratris imperia modo  
 Perferre demens cogitur, raro diu  
 Placitura.
- Prisc.                    iam nunc dura perpetior satis.  
 Quibus ante verbis, fronte quam tardus sua  
 Excepit aula? solus haud potuit frui,  
 Alios volebat arbitros, nudum latus  
 Non credidit fratri, reus habebam prope                    1085  
 Amore fratris.
- Theod.                    vae, fidem fallentibus                    1090  
 Diuturna nunquam regna perfidia obtinet.  
 Perit occupatum fraude, quod partum fuit.  
 Consultor ipse petitur infelix sua,  
 Qua periit, arte. qui iungit manum, Ducis  
 Iugulum petendo, morte non perit bona.
- Prisc.                    Experta memorat. Caesarum primus fidem                    1095  
 Fecit cadendo, nullus impunem Duci  
 Admovit ense. Prisce, quo tandem ruis?  
 Incerta iacitur alea. reducam pedem?  
 Mutabo vela, certior donec mihi  
 Se pandat Auster? fraude Legatum nova  
 Tenebo. salve, video te solum, optime  
 Theodule; solis gaudeo vacare hunc locum:  
 Res magna, sed secreta, quam fidei tuae                    1100  
 Meoque credam Caesari.
- Theod.                    quis hic tuus?
- Prisc.                    Dubitasne, quin Mauritius.
- Theod.                    an nescis Phocam?
- Prisc.                    Antiquior Mauritius.

- Theod. at frater Phocas.
- Prisc. Imperia fratris non feram.
- Theod. siquidem sapis.
- Prisc. Fidem obligavi: serus hanc frater rogat. 1105
- Theod. Quod Caesar igitur habere secretum meret?
- Prisc. Phocam imperare militum impulsu quidem,  
Sed stare Priscum, qua decet, prisca fide.
- Theod. Quo teste raram Caesari probo fidem?  
Istaene nostri lateris excubiae dabunt, 1110  
Quibus obsidemur? gratiam hanc fures quoque  
Poterunt mereri.
- Prisc. ne quid excubias time.  
Securitatis hunc dedi murum tuae  
Adversus iram militum. pauci favent,  
Nisi quos sub armis Priscus occulto fovet 1115  
Mauriti amore; iunximus fidam manum.
- Theod. Hac mente si custodior, factum probo.
- Prisc. Sic est. probabis plura, si Prisci integre  
Consilia teneas. Caesari quantum suo  
Sit obligatus, meminit. obsequium palam 1120  
Deferre fratri cogitur; totum sibi  
Mauritius animum vindicat, dum res feret.  
Necessitati paret invitus modo.  
Sed pandit opportuna se nobis via,  
Qua vincla frater, scepra Mauritius gerat 1125  
In me meosque libera. argento potest  
Miles teneri, si quis adversum fremat.
- Theod. Qua Caesarem arte liberas?
- Prisc. sub me Duce  
Propinquet urbi miles et, quamvis Phocas  
Sequatur anceps consili, quid sors ferat, 1130  
Me tela convertente, dispositis probe  
Teneatur armis, moenibus pedem inferat,  
Praetorianos inter, ut Caesar solet;  
Mox vincla captus induct, tali diu  
Dignus corona, vertet aulam carcere. 1135
- Theod. Aeterna fidum pectus extollet dies,  
Et regna, quae debere Mauritius tibi  
Agnoscat, in te dividet.
- Prisc. iustum magis  
Quam dona specto. Caesari dedi fidem.  
Haec nuntiatum perge, subiungam gradum; 1140  
Iam miles arma sumit, accedet brevi.  
Bene est, remisi gratia salva virum.  
Sic praestruendum casibus semper reor,  
Nutantis, ut, cum fluctuat sortis fides,

Fortuna qua deflectit, hac eas quoque; 1145  
 Sibi quisque semper proximus. fratri comes,  
 Qua tuta res est, ibis; inflectes viam,  
 Si destitutus sorte procumbat sua.  
 Mauritius integer hactenus restat tibi,  
 Hunc possidebis arte, qua tenes modo. 1150  
 Haec nunc politica principes aulae viros  
 Ad omne sortis vertere ingenium solet:  
 Simulare virtus prima regnorum modo est.  
 Trib. Iam stat sub armis miles, exspectat Ducem.  
 Prisc. Accedo. recta pergimus ad urbem via. 1155

### Scena quinta

<Cives IV, Agatho>

*Cives ad arma pro urbis et Mauriti defensione convolantes  
 Agatho Praefectus cohibet.*

Civ. I. Cives, quid agimus? miles e castris movet  
 Rectaque ad urbem graditur. an praedae sumus?  
 Aut destinamur victimae immiti Phocae?  
 Civ. II. Cave, sic loquaris; Caesarem ducunt Phocam.  
 Sic fama narrat.  
 Civ. I. unus hic sat est gravis; 1160  
 Plures recuso.  
 Civ. III. Priscus ad muros venit.  
 Civ. I. Qua mente?  
 Civ. III. cives opprimet, quotquot suum  
 Lusere nuper Caesarem.  
 Civ. II. vanus metus.  
 Mauritius ipsi militi invisum est caput.  
 Civ. I. Quaecunque causa subsit, est gravis, reor; 1165  
 Hostis an amicus veniat, hoc scire interest.  
 Civ. IV. Sententiis variatur, et rumor vagus  
 Suspendit animos.  
 Civ. I. iuverit cives suis  
 Parere in armis, quamque fortuna dederit,  
 Sortem tueri; moenibus tuti sumus. 1170  
 Si miles hostis adsit, oclusas fores  
 Inveniat et, qua venit, abscedat retro.  
 Si fautor aderit, nostrum ad arbitrium reget  
 Ferrum ac favorem. praestat imperia dare,

- Accipere quam de milite. superbum genus 1175  
 Hic imperandi sequitur et cunctas opes  
 Agit in tributum.
- Civ. II.                                forte consilium probo.  
 Captamus arma.
- Civ. III.                                sic iuvat: manum ocyus  
 Ad arma, cives.
- Civ. IV.                                arma corripite, incolae.  
 Civ. I. Ad arma, cives: hostis in muros ruit. 1180  
 Agath. Quis hic tumultus civium? state, o viri;  
 Quo ruitis? iste miles auxilio venit.
- Civ. I. Quem venit in hostem?  
 Agath.                                Caesaris.  
 Civ. I.                                nullum urbs habet.  
 Quaerendus extra moenia est.
- Agath.                                tantum latus  
 Stipabit.
- Civ. I.                                hoc sat fida Mauritio cohors 1185  
 Praestat clientum.
- Agath.                                Caesar armatam vetat  
 Incedere urbem.
- Civ. I.                                Caesar obsequium et fidem  
 Iam nunc suorum renuit, at sero volet.  
 Defensa cum sunt moenia, est Caesar quoque.  
 Si Priscus Imperator aut Phocas venit, 1190  
 Mauritius exulabit aut umbras petet.
- Agath. Haec tangat alios cura; vos armet quies,  
 Sic urbs futura est tutior.
- Civ. I.                                dabimus locum  
 Sic imperanti Caesari; qui, si fidem  
 Sero requirat civium, damnet suam, 1195  
 Qua militaris aleam vulgi subit.

## Scena sexta

<Nuntii III, Mauritius, Theodulus, Philippicus,  
accedunt Iustinus, Valens, Legatus>

*Mauritius inter rebellionis nuntios et Theoduli ac Philippici consilia anceps fluctuat  
fugamque cum filiis amplectitur, Agathone personam Mauriti suscipiente.*

- Nunt. I. Arma, arma portis insonant: Phocas adest.  
Fuge, Imperator Mauriti. Caesar novus  
Ingreditur urbem.
- Maur. quid ais? an Phocas venit?
- Theod. Et Priscus, iste fallitur.
- Nunt. I. Priscum suis 1200  
Agnosco signis; hic praeit, sequitur Phocas.
- Maur. Res est pericli plena, cur Phocam trahit?  
Φ, Φ timenda est litera; minus iam mihi,  
Philippice, es suspectus. huc nunquam meus  
Se vertit animus.
- Theod. hanc procul curam amove. 1205  
Sat providebit Priscus, hic fidem dedit.  
Eliminabit putidum solio Phocam  
Intraque muros stringet ac vinctum tuae  
Sistet coronae.
- Maur. frater excutiet fidem, 1210  
Et grata novitas. spernimus praesentia  
Laeti futuris, dubia prae certis placent.
- Theod. Integritatis pristinae curam geret.  
Huic nemo fidet, qui semel calcat fidem.
- Nunt. II. Late patentem funditur in urbem cohors 1215  
Phocamque ducit Caesarem, cives favent  
Iuxtaque socii milites. cave, Mauriti:  
Vrbs una geminos Caesares raro capit.
- Maur. Agnosco fata, somnus hic vates fuit.  
Fatalis hora! properat exitium tui.
- Theod. Male auguraris. Mauriti, cadet Phocas 1220  
Ductore Prisco, carcerem implebit tuum.
- Maur. Cur ducit igitur Caesarem et dicit suum?
- Theod. Hac arte constringendus hic aper fuit.
- Maur. Decreta Superum nullus evertet dies.
- Theod. Quis legit horum diphtheram?
- Maur. nimium patet: 1225  
Cervicibus sica imminet, regnat Phocas.
- Theod. Nil metue, vanos esse rumores puta.
- Iustin. Fugiamus; hostis, o pater, muros subit.

- Maur. Ibisne tandem, Mauriti, adversum neci  
Tibi praeparatae? quid times, palles, tremis?  
O deses anime, perge, quo Divi vocant.  
Nunquam latebis. 1230
- Val. o pater, fuge, o pater;  
Hostis propinquat, certa pernicies adest.
- Maur. O cara soboles patris, o gnati mei,  
In hoc venimus! fugite vos: totam pater  
Capite procellam solus excipiet suo. 1235  
Debetur ille victima; innocuus cruor  
Aetasque vestra est. cedite furori, precor.
- Iustin. Seu fugere placeat, stare seu magis patri,  
Iungemur, una morte sociari iuvat  
Natos patremque. 1240
- Philip. frater, hinc fuge ocyus,  
Haec nunc salutis sola tibi restat via  
Parvisque natis.
- Maur. fugere non decet virum.
- Philip. Effugere non est turpe, cum nulla est salus  
Aut spes in armis.
- Maur. pulchrior mors haec erit. 1245
- Philip. Tua et tuorum fata coniungis simul.  
Servare si te non voles, serva tuos.
- Maur. Plectenda feci, scelera me damnant mea.
- Philip. At innocentes liberos tecum rapis  
Hanc in ruinam.
- Iustin. mi pater, nati obsecrant:  
Ah, parce natis; parce, mi genitor, tibi. 1250
- Val. Fugiamus, hostis instat a tergo ferox.
- Maur. Gnati, obstinatum frangitis animum patris.  
Non propria, sed mors vestra persuadet fugam.  
Agedum, veredos sistite actutum mihi,  
Necessitati pareo; gnati, patris 1255  
Haerete lateri: si quis intendet necem,  
Prius ille patrem feriet, opponam caput;  
Iungemus umbras, gnatus et pater cadet.
- Theod. Subsiste, Caesar. ecce, Legatus subit  
Mandante Prisco. 1260
- Legat. Caesarum salve decus,  
Magne Imperator Mauriti. Priscus tibi  
Multam salutem nuntiat, Phocam brevi  
Sub vincla sistet. Caesaris specie quidem  
Portas subibit, moenibus clausus tamen, 1265  
Nolens catenas induet, vinctus gemet.
- Maur. An certa Prisco constat etiamnum fides?
- Legat. Tibi perduellem, Caesar, hic sistet Phocam.

- Theod. Non ambigo, fidem Priscus oblatam dabit.
- Philip. At pertimesco callidi ingenium viri! 1270  
 Fingetur ille vinctus, ut vincla induas;  
 Sic te tenebunt, Mauriti, ut tollant fugam.
- Theod. Formido vana.
- Philip. certior nobis fuga est.  
 Consilia sera in vinculis fugae damus.
- Theod. Si quid timendum fraudis est, scio exitum. 1275  
 Tibi, Caesar, Agatho similis, hic tui gerat  
 Diadema regni ac purpuram. scenae potest  
 Servire, certa donec eventu suo  
 Fortuna constet.
- Maur. molle consilium placet.  
 Quid, Agatho, censes, sortis in partem meae 1280  
 Placebit ire?
- Agath. debeo vitam tibi  
 Nec hanc recuso. morte quantumvis mea  
 Tuam tuebor purpuram.
- Philip. hic etiam color  
 Dibaphae placebit sanguine madescens tuo.
- Theod. Male ominari parcite, eventus dabit 1285  
 Meliora votis.
- Nunt. III. iam salutatur Phocas  
 Tota urbe Caesar. Mauriti, tuum caput  
 Brevi petetur.
- Philip. ocyus vestem abiice,  
 Mi frater; Agatho, sume. postica retro  
 Cedamus urbe. vos, quid eventus ferat, 1290  
 Coram operiri praestat.
- Theod. haud quicquam mali  
 Formido; Prisci fraude tradetur Phocas.
- Maur. Nunc fugio amicos, fugere qui nunquam meo  
 Sum visus hosti: versa fortunae rota  
 Sic regna voluit. liberis tantum pater 1295  
 Debeo timorem. pergite, a tergo sequar.
- Agath. Si faciat habitus Caesarem, tres hoc die  
 Vrbs una vidit Caesares.
- Theod. iuxta latus  
 Ambi, satellites; munus hoc manet tuum.



## Scena septima

<Priscus, Cives V, Phocas, Agatho>

*Priscus anceps, Mauritione an Phocae faveret, civibus huic inclinatis accessit, hunc coronat et pro Mauritio, delusus, Agathonem capi mandat.*

- Prisc. Succedit astus, cuncta pro votis fluunt. 1300  
 Accipior urbe, porta, qua venio, patet,  
 Inermis adstat civis et gestis favet.  
 Iacienda nunc est alea ingentis rei  
 Moderante Prisco: fratris extra urbem Phocae,  
 Mauritii in urbe fata versantur modo; 1305  
 In manibus urna est, quolubet sortem traham.  
 Si faveat urbis civis, est Caesar Phocas,  
 Mauritius inter vincla concludet decus;  
 Sin obstet, hic triumphus est Phocae ultimus.  
 Exploro sortem; dirigant coeli, precor. 1310  
 Adeste, cives: Caesarem duco novum;  
 Adeste, plausus ac triumphales faces  
 Iactate coelo: tecta succedit Phocas.  
 Postes coronis cingite et laetum choris  
 Paeana canite.
- Civ. I.                                fausta lux!  
 Civ. II.                                felix dies. 1315  
 Civ. III. Fortuna cunctis melior affulget modo.  
 Civ. IV. Avara iam tyrannis ad finem ruit.  
 Civ. I. Mauritius opprimatur, et vivat Phocas.  
 Prisc. Peracta res est. frater, accede propius.  
 Probat imperantem civium plausus Phocam. 1320  
 I nunc, satellites: vincla Mauritio iniice  
 Et siste captum. praeveni celer fugam.  
 Adeste, cives: Caesar hic Phocas adest.
- Phoc. Salvete cives optimi, fratres mei.  
 Civ. I. Salve Imperator.  
 Civ. II.                                Caesarum salve decus. 1325  
 Civ. III. Vive, Imperator.  
 Civ. IV.                                Caesarum vive optime  
 Et vive felix.
- Civ. II.                                et diu.  
 Civ. III.                                felix diu.  
 Phoc. Favore tanto gaudet impenso sibi  
 Phocas, rependet; repetet autores favor.  
 Prisc. Conscende solium, debitos pridem tibi 1330  
 Capias honores: aurea dignum caput

	Ornet corona, dextera sceptrum feras, Mundum sinistra, purpura cingas latus. Sic Imperator vive, sic regna diu.	
Civ.	Vive et triumpha.	
Prisc.	Caesari obsequium modo Praestate dignum, concinant plausum tubae.	1335
Phoc.	Bene est. coronam vertici civis meo Milesque posuit; gloriae huic solus tamen Mauritius obstat, regna non capiunt duos.	
Civ. I.	Eliminandus patria est.	
Phoc.	pulsus brevi Ad hanc redibit; fors an externo quoque Armatus hoste.	1340
Prisc.	pereat invisum caput. A morte nunquam patuit ad regnum via.	
Mil. I.	Iam trahitur istic vinctus a tergo manus Mauritius?	
Phoc.	ubi repertus?	
Mil.	in throno sedens Auroque late fultus et circum asseclis. Quaerebat: 'ubi moratur infelix Phocas? Quin cerno vinctum? miles, an Phocam trahis? Vbi nunc Tyrannus haeret, infaustum caput Orco immolandum?'	1345
Phoc.	quid dein?	
Mil. I.	postquam videt Nos expedire vincla, nos petere latus Mucrone stricto, rapere deiectum throno, Obstupuit et vox excidit.	1350
Prisc.	fratri, Phoca, Hoc imputabis, arte delusum nova Tenuit Tyrannum, ne tua exiret manu.	1355
Mil. II.	Hic est cruenta bestia, o Caesar Phoca, Quae tot suorum victimas orco dedit. Nunc asserenda denique infaustae Stygi.	
Phoc.	Te video, demens Mauriti, vecors Dei Spretor, tuorum proditor?	
Prisc.	deludimur, Mi frater.	1360
Civ. I.	haud est Caesar, habitus decipit; Est Agatho, sola veste Mauritium refert.	
Phoc.	Perverse nebulo, Caesarem fingis tuum? Nisi mox reveles, parte qua lateat miser, Peribis, omnis poena te sontem premet.	1365
Agath.	Evasit urbem. fraude me captum sua Induxit ostro, parui cliens hero.	

- Phoc. Quas ergo latebras adit? evulga ocyus.
- Agath. Haec nescientem interrogas.
- Phoc. agedum, hoc scelus,  
Lictor, catastis admove: discat loqui. 1370
- Civ. V. Aversus urbe, liberis iunctis pater  
Excessit.
- Phoc. insons nemo prospectat fugam.
- Prisc. Qui tot suorum perdidit, causae timet.
- Phoc. Inquire profugum, miles; indicium fugae  
Post se relinquet. scelera turbabunt viam. 1375  
Flagitia nunquam magna celantur diu.
- Prisc. Latibula cuncta detegam. subeat suum  
Vivus sepulchrum, Priscus inveniet viam  
Vel ipsum ad orcum; nullus effugii est locus.  
Consequere, miles; occupa quodvis iter. 1380

### Chorus

- I.
- Ch. Miser est, quisquis scelerum duro  
Colla gravatur depressa iugo  
Et laniata mente Tyrannum  
Patitur vermem crudumque nefas.  
Nemo Phalaris, nemo Procrustes 1385  
Tormenta paris repperit irae.  
Mollis Decius mitisque Nero,  
Fabula vincti blanda Promethei,  
Si diram animae patiare luem.
- II.
- Felix, quisquis scelus exosus, 1390  
Excutit atrox cervice iugum  
Factique dolens, lacrymis saevum  
Expiat udis poenaeque nefas.  
Gaudia tandem dolor iste parit.  
Minor Atlantis sarcina lati 1395  
Abiecta poli, pondus onustis  
Minus ex humeris, Milo, reponis.
- III.
- Miser et felix vitiis Caesar,  
Luctu felix, patrando miser.

Gaudia mixto iuncta dolori, 1400  
 Fructum sceleris poenaeque merit  
 Scorpio feriens medicansque sibi.

I.

Miser, heu, Caesar, Numinis ira!  
 Gravius saevit, cum tarda venit.

II.

Caesar flexo Numine felix! 1405  
 Postquam laesus reparatur amor,  
 Sumit ab ipso vulnere vires.

III.

Miser ac felix vindice poena;  
 Et gravis ira est et dulcis amor.  
 Vulnere sanus tantum esse potes. 1410

I.

Miser in vita est ille beata,  
 Qui, nil plexus [plexus], plectenda facit.

II.

Misera felix erit in vita,  
 Qui, cum peccat, peccata luit. 1415  
 Felix poena est noxaeque miser,  
 Qui fit scelerum poenaeque reus.

Gravius nullum feriunt Divi,  
 Quam cui vivo scelus indulgent;  
 Nec magis ulli Superi parcunt,  
 Quam cui nolunt parcere vivo. 1420  
 Quisquis luit hic dira scelestus,  
 Gaudeat, inter tristia laetus,  
 Poenasque ferat.

## Actus quintus

### Scena prima

<Mauritius, Trophimus, Theodorus, Iustinus, Pseudolus>

*Trophimus ut servet Theodorum Mauriti, suum Pseudolum substituit.*

- Maur. Quo, Trophime, vertar? res in angustum meae  
Coïere, sedes nulla de tanto mihi 1425  
Relicta regno est. nullus - heu, dolor! - angulus  
Tutum recipiet Caesarem, silvae ac ferae  
Tristem loquentur hostibus nostris fugam.  
Occidimus, actum est. cara progenies patris  
Et nata regno pignora, hoc vestrum est scelus, 1430  
Sic esse genitos; obruit natos simul  
Felicitatis pondus incubens patri.  
Vbi vos recondam quove defendam loco?  
Non maria ventis tuta, non campi favent.  
Ah, quam piget genuisse!
- Troph. quid lacrymis diem 1435  
Fugamque perdimus? animos magnos decet,  
Non velle, sed nec fugere decretam necem.  
Amare vitam, si decet; si non decet,  
Accipere mortem. cedo nunc gnatos mihi,  
Innoxios tuebor.
- Maur. o factum pium! 1440  
His si salutem prospicis, nil iam moror:  
Nec moriar omnis, vivet in gnato pater.
- Troph. Theodore, mecum perge. quin properas? age,  
Adibo matrem; quin et accedis comes,  
Iustine?
- Iustin. frustra es. corruet coelum prius, 1445  
Quam sim parentis ipse desertor mei.  
Vivemus una; fata si tamen negent,  
Moriemur, eademque urna coniunget duos,  
Gnatum et parentem. gaudium hoc unum mihi  
Vix hostis invidere iuratus potest. 1450
- Maur. Fortuna melior, gnate, subveniat tibi,  
Et adhuc supersis; vivere etiamnum meres,  
Nisi me parentem ferre sit crimen tuum.  
Age, Theodore, perge.
- Theod. num sequeris, pater?  
Matrem reviso.

- Maur.                                   perge sic coelo duce.                                   1455  
 Sed hoc parentis osculum tui accipe  
 Et redde matri. gnate, delictum meum  
 Et spes cadentis, iungere extremum mihi.  
 Scis, quale pignus, Trophime, committam tibi?
- Troph. Scio salutem Caesaris, animam patris.                                   1460
- Maur. Ita est. hoc unicum doleret vulnus mihi,  
 Hi quo perirent; indolens reliquum feram.  
 Valete.
- Theod.                                   mi pater vale.
- Maur.                                   fili vale.
- Troph. Excutitis isto lacrymas vultu mihi.                                   1465  
 Vbi nunc latebis, pumile mi, tuto satis?  
 Celare splendida artis est, suis quoque  
 Proditur in umbris lampas et latens patet.  
 Fraude hic agendum: gnatus est unus mihi,  
 Hic potius umbras subeat et lethi aleam,  
 Quam pereat heres, imperi et regni decus.                                   1470  
 Mutetur habitus. forma non prodet dolum,  
 Conspirat illa ac fraudibus satis favet.  
 Heus, Pseudole; haecine vestis arridet tibi?  
 Nunquid lubet mutare?
- Pseud.                                   quid ni, mi pater?  
 Theodore, quid si commodos illi togam?                                   1475
- Theod. Non commodo, mea est melior.
- Troph.                                   anima innocens  
 Suaeque sortis nescia! sine nunc, togam  
 Dabo meliorem, mi pumile, plane auream.  
 Tantisper hanc assume, dum redeas domum.  
 Quam nunc videris alius? an quisquam neget                                   1480  
 Esse Theodorum Pseudolum? factum bene.  
 Theodore, tu nunc Pseudoli nomen geres;  
 Tu, Pseudole, Theodorus exinceps eris  
 Et, cum rogaris nomen ac domum patris,  
 Esse Theodorum Caesaris natum assere.                                   1485  
 Capitis uterque?
- Theod. et Pseud.                                   capimus.
- Troph.                                   experiar modo:  
 Qui tu vocaris?
- Theod.                                   Pseudolus.
- Troph.                                   quis tibi pater?
- Theod. Trophimus.
- Troph.                                   pusille, nomen enarra tuum.
- Pseud. Theodorus ego sum, Caesar est pater mihi.



Prisc.   scimus. en, binos vides.  
 Haec iam tenetur vincta cum catulis fera.   1520

Maur. Ah, cara soboles, patris afflicti dolor!  
 Vos in catenis? perdidisti infelix meos,  
 Postquam esse coepi Caesar et coepi pater;  
 Tantum in dolores fertilis torus fuit.

Prisc. Apage querelis. ceteros gnatos volo.   1525

Maur. Quid innocentes sorte peccarunt mea?

Mil. I. Vbi sunt? quid inquis? visne in eculeo rogem?

Mil. II. Hoc exprimemus ense, si verum tegas.  
 Vbi liberi?

Prisc.   miles, adhibe ferro manum.  
 Moriere.

Omn.   moriere.

Iustin.   pater! en, adsum, pater!   1530  
 Ah, parcite patri.

Prisc.   perfide, hac fossa lates?

Maur. Quo, gnate, properas? ecquid occurris neci?  
 Pro se suisque pereat invisus pater.

Prisc. Dic ocus, ubi Benjamin tuus latet?

Mil. I. Iustine, frater ubi est? ais? an ense occidis?   1535

Maur. Haec nescientem quaeritis.

Prisc.   dicis, puer,  
 An iste iugulum mucro penetrabit tuum?

Iustin. Ignosce, fratrem Trophimus abduxit domum.

Prisc. Bene est, paratas indue armillas modo.

Maur. Iudicia iusta, o Domine, iusta sunt tua.   1540

Prisc. Agedum, catastae noxios domi manent.

Iustin. Quo turba rapimur innocens?

Val.   heu! quod malum,  
 Quaenam expiamus scelera?

Mil. I.   carnificem roga.  
 Iste haec docebit.

Clem.   o pater!

Maur.   nati mei,  
 Pergite miseri, pergite lacrymis,   1545  
 Patris ignotum deflete scelus.  
 Quidquid pateris miseranda cohors,  
 Patrius vobis attulit error.



### Scena tertia

<Phocas, Mauritius, Iustinus, Carnifex, Lictor, Priscus,  
Trophimus, Pseudolus, Theodorus, Milites>

*Phocas, Priscus, Milites, Carnifex Mauritium et filios ultimo mactant supplicio.*

- Phoc. Bene est: tenemus cassibus strictis feram;  
Inulta non exhibit, exuvias dabit. 1550  
Age, apparatus, lictor, instaure parem  
Huic, quam tenemus, victimae; nihil humile,  
Phocae litandum est Caesari. plus iam Deo  
Novus Imperator debet et aliis minus.  
Phocas Tonanti, ceteri parent Phocae. 1555  
Agedum, satellites: siste Mauritium mihi.  
Catulos leoni iunge. iam circum petent  
Fovea relicta, dabimus in arenam feras.  
Non incruentus iste convertet dies  
Moriens iugales, cernet infandum caput 1560  
Nece fulminari. perge, quid contra viam  
Luctaris? orbis dedecus, regni probrum,  
Improbe tuorum carnifex, patriae lues  
Pestisque gentis, quisquis orientem nepos  
Post te videbit, dedecus Eo quoque 1565  
Videbit in te, Mauriti, et stupens leget.  
Caesar fuisti nominis labes sacri,  
A stirpe prorsus ultima, a prima tui  
Radice subvertendus infelix eris,  
Ne quod Tyranni semel ad clades novas 1570  
Repullulascat. si quid ingenuae super  
Humanitatis impotens liquit furor,  
Si quid pudoris, facinus agnosce impium  
Meritamque mortem. loqueris? an verba excidunt  
Oppressa scelere? nunc age, excutiam tibi 1575  
Pro voce gemitus, Caesarem agnoscis tuum.  
Agnoscis, improbe canis? ut oculos retro  
Atque ora torquet? subiice probrosum caput  
Et proterenda colla dominanti Phocae.  
Ita opprimatur, quisquis immeritos premit. 1580
- Maur. Iudicia iusta, o Domine, iusta sunt tua.
- Phoc. Agnoscis esse Numen et coelo Deum,  
Qui vindicare, qui superborum caput  
Atterere, famulos ducibus et famulis duces  
Mutare possit? sat triumphatum hactenus; 1585  
Nunc pro triumphis funera enumeres tua.

- Lictor, moraris? capita natorum exhibe.  
 Intende vultum, Mauriti, et spectaculo  
 Te fruere digno. nunquid agnoscis tuos?
- Maur. Iudicia iusta, o Domine, iusta sunt tua. 1590  
 Iustin. O cara fratrum turba, germani mei!  
 Quis vos peremit? tune, crudelis Phoca,  
 Vecors Tyranne? tune sic fratres meos  
 Et immerentes morte funesta opprimis?  
 Me, me adde socium, perge. me fratres vocant. 1595
- Phoc. Furiose iuvenis, perdit ac procax puer,  
 Moriere; saeva morte praemittam patrem,  
 Et hunc videbis sanguine natantem suo.
- Maur. Iudicia iusta, o Domine, iusta sunt tua.  
 Iustin. Sine me parentem rapitis? absque me, pater, 1600  
 Moriere? non sino, lictor improbe, non sino.  
 Per me parentem, per meum latus petes.  
 Quo fonte vita fluxit, hoc post me fluat.  
 Praeibo patrem, nuntium tenebris feram.
- Maur. O gnate, moriar. unicum hoc solatium 1605  
 Concede patri, ne tuam videat necem  
 Et adhuc superstes saepe cogatur mori.  
 Nullo perire vulnere molestum est magis,  
 Quam quo perire cerno vos gnatos pater.  
 Concede noxio, innocens fili, patri, 1610  
 Concede mortem.
- Phoc. bene habet: excussi virum,  
 Vocem impetravi; parte qua doleat magis,  
 Testantur illae lacrymae. ferrum amove  
 Et verte, lictor: liberi primo cadant.
- Maur. Sunt innocentes, parce. te primum, Phoca, 1615  
 Mauritius orat.
- Phoc. innocens nemo est, tuus  
 Quicumque fuerit.
- Maur. scelera qui fecit, luat.  
 Crimen nocentis innocens nemo expiat.
- Phoc. Peccare demum qui potest, sat est nocens. 1620  
 Et praestruendum noxiae est: colubro solet  
 Nasci parente coluber, audebit suo  
 Genitore peius aliquid infelix nepos.  
 Pereat nefandum semen, et in ovis adhuc  
 Istae opprimantur aspides, purgent solum.  
 Age, lictor, effer victimam: exspectat Charon. 1625
- Iustin. Permite, lictor, ultimum patri vale  
 Dicam ultimosque gnatus amplexus feram.
- Carn. Effugia quaeris?  
 Iustin. o pater, vale pater.

- Maur. O nate, patris gaudium ac dolor, vale.
- Phoc. Absolve gemitus. expedi, lictor, togam  
Collumque ferro divide. 1630
- Iustin. pater, o pater.
- Maur. I nunc, parentem praevola ad caelum puer;  
Iesus euntem ducat. o fili, vale.
- Lictor Morere, sceleste, morere; sic iaces bene.
- Maur. Iudicia iusta, o Domine, iusta sunt tua. 1635
- Phoc. Perfide, retorques ora? num moriens Phocae  
Adhuc minaris? frater accedet brevi,  
Pater sequetur.
- Maur. gnate! pro, qualis iaces!  
O fraudis expers anima! nimirum tuos  
Haec decuit humeros purpura. iuvat hoc caput,  
Iuvat osculari. heu! perdidisti gnatum parens. 1640  
Vtinam illo sanguis vulnere, ah, utinam meo  
Fluxisset olim, cum pater nondum fui!  
Non sic iaceres. fata nunc patri tua  
Mortemque debes, scelere procumbis meo. 1645
- Phoc. Vbi quartus iste coluber, etiamnum latet?
- Prisc. Fugit ille scenam, Trophimo adhaerescit puer.
- Phoc. Moriatur, hunc fortuna non patitur mea.
- Maur. Theodore, prodi, gnate; degeneres metus  
Vitamque pone, prodi in amplexus patris. 1650  
Quid hoc? paternum nil habet: non est meus.  
Me teque fallis, Trophime, si struis dolum.  
Per me nocentes sunt mei, pereant mei;  
Servetur omnis innocens.
- Phoc. quid agis? Phocae  
Illudis, improbe; Caesari illudis tuo? 1655
- Troph. Quid fluctuatis? reddo Theodorum patri,  
Mauritius illum tradidit.
- Phoc. sciam brevi.  
Edissere, puer, ocyus nomen tuum,  
Dic, qui vocare?
- Pseud. modo ego Theodorus vocor.
- Phoc. Qui dictus olim es?
- Pseud. Pseudolus.
- Phoc. viden' nefas, 1660  
Dolosa vulpes?
- Troph. decipitur insons puer.
- Phoc. Quo patre prodidis?
- Pseud. Caesar est mihi pater  
Mauritius.
- Troph. audin'? memoria puero redit.
- Phoc. Quis ista iussit proloqui?

- Pseud. Trophimus pater.
- Phoc. Natura fraudis incapax pandit dolos 1665  
 Et vincit artem. Trophime, quid mutus stupes?  
 Pater es Phocamque fallis. eliciam brevi  
 De fonte verum. subeat hunc campum puer,  
 Quem Trophimus esse dictat et fingit suum.  
 Sceleste, vultu proderis, fraudes tuae 1670  
 Nequeunt latere.
- Maur. Trophime, quid malum instruis  
 Tibi tuisque? subtrahe innocuum meae  
 Caput ruinae. quid favor tantus mihi  
 Et quid tuorum vita, fortuna ac salus  
 Impensa prosunt? morte defungar mea. 1675
- Mil. I. En, magne Caesar: adstat hic Trophimi puer.
- Phoc. Pusille mi, videre vis patrem tuum?
- Theod. Permitte, videam.
- Phoc. cerne, quem vides?
- Theod. pater,  
 O optime pater!
- Maur. dulcis o fili, innocens  
 Animula, sic peribis? infaustum patrem! 1680  
 Quam te piget vidisse!
- Theod. quid, pater, gemis?
- Maur. Ah! primum es orsus vivere et debes mori.
- Theod. Ergo moriendum est? quod igitur nostrum est scelus?  
 Quid morte dignum fecimus?
- Maur. Phocam roga,  
 Agnosce fratres.
- Theod. dulcis o fratrum trias! 1685  
 Iustine, Iustine, nihil audis? ah, nihil!  
 Theodorus adsum, frater, heu! nil te moves?  
 Iustine, Clemens ac Valens, fratres mei!  
 Quis iste vultus vester et turpis color?  
 Totum cruentae corpus inficiunt notae. 1690  
 Quis ausus ista, mi pater? homone an fera?
- Phoc. Satis est, abunde est; nullus hic error latet.  
 Natura docuit. morere: Iustinum, puer,  
 I, vise fratrem, vota potieris tua.
- Lictor Expande collum.
- Theod. ah, mi pater! morior, pater! 1695  
 Defende: ferrum stringit et iugulum petit.
- Maur. Ah! quid, puella et corculum meum, fugis?  
 Fratres adibit, consequar gnatum pater.
- Theod. Ergone moriar? nil mali cuiquam attuli.
- Maur. Sequere peremptos, anime mi, sequar quoque 1700  
 Vmbrasque iungam filiis. nunquid igitur

- Sine patre, fili, ac fratribus vitam cupis  
An morte iungi?
- Theod. cupio, mi pater, mori.
- Maur. Accurre, voce provoca ingenti necem.
- Theod. Immane monstrum Caesaris, demens Phoca, 1705  
Concede mortem, fratribus iungar meis.
- Phoc. Quid, lictor, haeres? amputa vecors caput.
- Lictor Ignosce, Caesar. horreo, non sum meus;  
Ista perire non potest manu puer.
- Phoc. Imbelle et amens, perfidum ac dirum caput! 1710  
Moraris? ense, lictor, occumbes tuo.  
Quid hoc? machaeram proiicit, fugam capit.  
Hoc tu Phocae, hoc tu Caesari ausis, improbe?
- Theod. Segnis Tyranne, nemo mihi mortem dabit?  
En, nuda cervix; pectus, en, nudum quoque: 1715  
Exprome vitam, parte qua magis lubet.
- Phoc. Pereat, satellites, pereat actutum puer;  
Quacunq; vitam exegetis, licet, via.
- Mil. I. I, mucro: penitos viscerum sinus adi,  
Absolve vitam.
- Mil. II. gladius hic etiam iuvet. 1720
- Phoc. Peritne? adhucdum palpitat, rursus feri.
- Maur. Coelestis aulae vindices, cives poli,  
Spectatis ista? scelera quae feci nocens,  
Ita innocentes expiant? sed sic placet:  
Iudicia iusta, o Domine, iusta sunt tua. 1725  
Adiungar etiam victima ac vitam simul  
Cum scelere ponam.
- Phoc. vivis etiamnum, improbe,  
Hominum ac Deorum pestis, exitium soli  
Regnique, vivis? occidat: miles, feri;  
In viscera gladium adige.
- Maur. sic agedum, feri. 1730  
Non potes aberrare: hoc caput, pectus, latus  
Transadige. ubique sum nocens, toto scelus  
Corpore piabo. suscipe fatentem reum  
Humilemque servum, Christe. Mauritius tibi  
Moritur caditque.
- Phoc. miles, infandum latus 1735  
Nondum ense figis? an Phocas gladio metet  
Et vos et hostem?
- Mil. I. quid, manus, segnis stupes?  
Animose mucro, perge. sic hostis cadat.
- Maur. Iudicia iusta, o Domine, iusta sunt tua.  
Ignosce IESU.
- Mil. vivis etiamnum, hoc cape. 1740

Prisc. Vive et triumpha, Caesar, aeternum, Phoca:  
Occubuit hostis noster ac hostis tuus.

Phoc. Ita iudicetur, quisquis inimicus Deo  
Hominique sceptrum tractat et durus gravat  
Populum Tyrannus. nulla subsistunt diu  
Violenta plebi regna. qui iustos premit,  
Iniustus opprimetur: affixa est suo  
Mensura sceleri, poena succedit nefas.  
Nemo scelestus fallit ultorem Deum.

1745

&lt;Finis&gt;

## Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Ausgabe von 1683 mit dem vollständigen Titel „MAVRITIVS ORIENTIS IMperator circa Annum a Christo 600“. Das Mannheimer Exemplar ist über das MATEO-Projekt der dortigen Universität im Internet einsehbar ([www.uni-mannheim.de/mateo/camena/masen3/te05.html](http://www.uni-mannheim.de/mateo/camena/masen3/te05.html), Seitenvertauschung im 5. Akt: S.304, 308, 306, 307, 305, 309); die htm-Fassung wurde für diese Ausgabe benutzt, die recht freie Übersetzung von Halbig (1987, Grundlage ist die Ausgabe von 1664) wurde eingesehen.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktion wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U* sowie *autor* statt *author* (138, 386), *imperium* statt *inperium* (56), *lacry-* statt *lacri-/lachry-* (1435/1613), *litterae* statt *litterae* (87), *sepulcrum* statt *sepulchrum* (1378), *tanquam* statt *tamquam* (v524), *-unquē* statt *-umque* (57, 68, 712, 1492), *vindico* statt *vendico* (A18, 1122).

Groß geschrieben wurde: *Domine* (1540, 1581, 1590, 1599, 1635), *Imperator* (462, 524, 534, 1190, 1554), *Monachi* (94f., 98, 105, 114, 120, 650) sowie 5 *Regum*, v346 *Praefectus*, 347 *Phoebē*, 598 *Ducum*, 621 *Averni*, 702 *Styga*, 881 *Stygi*, 989 *Charybdi*, 1021 *Ductor*, 1097 *Auster*, 1224 *Superum*, 1349 *Tyrannus*, 1355 *Tyrannum*, 1358 *Stygi*, 1383 *Tyrannum*, 1473 *Pseudole*; klein dagegen - auch in Anreden: *pater* (1228, 1232, 1232, 1239, 1371, 1463, 1597, 1606, 1631, 1631, 1691) sowie A13 *asino*, 8 *honoris*, 43 *germani*, 71 *diras*, 156 *regni*, 165 *nepotum*, 301 *coelum*, 317 *coniugis*, 346 *magne*, 379 *geminos*, 395 *regno*, 396 *regnum*, 460 *crucem*, 638 *mundi*, 643 *prior*, 654 *innocens*, 660 *carnifex*, 704 *iudex*, 720 *tibi*, 726 *dominum*, 766 *te*, 788 *carceris*, 821 *phocae*, 838 *alii*, 985 *miles*, 1040 *proceres*, 1040 *miles*, 1158 *destinamur*, 1179f. *cives*, 1187 *urbem*, 1321 *satelles*, 1321 *vincla*, 1396 *pondus*, 1459 *pignus*, 1463 *fili*, 1478 *pumile*, 1551 *lictor*, 1557 *leoni*, 1557 *circum*, 1591 *cara*, 1707 *lictor*. Uneinheitlich belassen wurde *Imperium/imperium* (Argumentum/Text).

Das Darstellerverzeichnis und die Darstellernennung vor den einzelnen Szenen wurden ergänzt. Im Darstellerverzeichnis wurde die Erläuterung *Praefectus aulae* aus der Sprecherabkürzung zu 36 (*Praef. aulae*) bzw. 1182 (*aulae Praef.*) gewonnen; die weiteren stammen aus den Kurzzusammenfassungen vor den Szenen. Vor den beiden Strophen des Chorliedes am Ende des 3. Aktes wurde 19 (806) und 20 (838) gestrichen. 1,3 markiert Halbig für 237 den Auftritt Agathos; eher anzunehmen ist aber, dass er die Diskussion bislang im Hintergrund beobachtet hat und nun zugunsten seines Kaisers eingreift.

- 23 *gravantur* statt *gravaotur*
- 29 *cuius* statt *cu us*
- 30 *nutum* statt *nu um*
- 33 *hostis* statt *host s*
- 37 *inimicos* statt *innimicos*
- 50 *Aliquando* statt *Al quando*
- 55 *praeceps* statt *praeces*
- 85 *Monarcha* statt *Moharcha*
- 104 *possident* statt *possidem*
- 112 *vetat* statt *verat*
- 207 *quemvis parceris* statt *quamvis parseris*
- 215 *Caesar* statt *Casar*
- v279 *I* Halbig statt *III*
- 346 *magne* statt *Magnae*
- 360 *hostesque* statt *hosque*
- 493 *deforme* statt *de forme*
- 535 *Civ. I.* statt *Civ. III.* Halbig
- 536 *Civ. II.* statt *Civ. IV.* Halbig
- 537 *Civ. IV.* statt *Civ. III.* Halbig
- 563 *lacrymaeque* statt *lacrymaequae*
- 600 *forte* statt *fotte*
- 612 *non sc. vana ...* statt *non metuimus* Halbig
- 644 *Misericordia* Halbig statt *Clementia*
- 667 *Iustit.* statt *Christus* Halbig
- 723 *purpuram* statt *purperam*
- 736 *cur* statt *cut*
- 773 *causa frater* statt *causa, frater* Halbig
- 839 *mensura* statt *meusura*
- 849 *inerti* statt *inerri*
- 857 *numinis* statt *nuninis*

894	<i>labore</i> statt <i>lobore</i>
897	<i>peractum</i> statt <i>per actum</i>
915	<i>Mil. V.</i> statt <i>Mil. I.</i> Halbig
919	<i>Mil. I.</i> statt <i>Omn.</i> Halbig
923	<i>in fidum</i> statt <i>infidum</i>
974	<i>Prisc.</i> ergänzt
1004	<i>Mil. I.</i> statt <i>Prisc.</i> Halbig
1029	<i>adfuturum</i> statt <i>ad futurum</i>
1160	<i>gravis</i> statt <i>gavise</i>
1179	<i>corripite</i> statt <i>corripitae</i>
1198	<i>Mauriti</i> statt <i>Mauritii</i>
1306	<i>quolubet</i> statt <i>quo lubet</i>
1325	<i>Civ. I.</i> Halbig statt <i>Civ.</i>
1369	<i>scelus</i> statt <i>selus</i>
1371	<i>Civ. V.</i> statt <i>Cives</i> Halbig
1403	<i>Numinis</i> statt <i>Nominis</i>
1412	<i>plexus</i> statt <i>plexus plexus</i>
1414	<i>peccat</i> statt <i>peccar</i>
1444	<i>Troph.</i> statt <i>Theoph.</i>
1490	<i>progreditur</i> statt <i>progteditur</i>
1496	<i>prope</i> statt <i>promt</i>
1525	<i>ceteros</i> statt <i>cereros</i>
1555	<i>ceteri</i> statt <i>cereri</i>
1559	<i>incruentos</i> statt <i>inctuentos</i>
1567	<i>nominis</i> statt <i>nomini</i>
1607	<i>superstes</i> statt <i>susterstes</i>
1663	<i>audin'</i> statt <i>audin</i>
1724	<i>ita</i> statt <i>i ta</i>
1726	<i>adiungar</i> statt <i>ad iungar</i>
1744	<i>tractat</i> statt <i>sractat</i>
1747	<i>iniustus</i> statt <i>in iustos</i>

'Komma' gestrichen vor *et, atque, -que, neque, nec, aut, vel, -ve, an, quam* u.ä.: A13, A18, A19, 1, 6, 11, 34, 38, 63, 69, 76, 83, 86, 91, 92, 96, 115, 115, 129, 133, 149, 150, 152, 170, 172, 181, 186, 193, 193, 196, 201, 203, 212, 244, 261, 268, 272, 275, 278, 280, 287, 292, 301, 302, 306, 320, 320, 324, 329, 344, 346, 360, 365, 374, 408, 409, 410, 413, 425, 428, 429, 454, 475, 477, 485, 495, 498, 499, 505, 507, 524, 543, 544, 546, 546, 548, 556, 556, 558, 559, 560, 566, 585, 599, 610, 616, 620, 621, 626, 627, 628, 638, 639, 666, 668, 677, 681, 686, 697, 699, 702, 745, 753, 772, 782, 787, 791, 803, 840, 843, 847, 853, 869, 871, 877, 898, 900, 917, 928, 947, 990, v997, 1012, 1014, 1034, 1050, 1129, 1138, 1172, 1176, 1190, 1191, v1197, 1208, 1214, 1215, 1222, 1244, 1259, 1281, v1300, 1302, 1314, 1321, 1345, 1346, 1353, 1382, 1384, 1391, 1393, 1401, 1402, 1409, 1456, 1457, 1467, 1469, 1470, 1472, 1476, 1483, v1493, 1516, 1523, 1554, 1563, 1573, 1578, 1582, 1584, 1593, 1596, 1606, 1613, 1627, 1629, 1630, 1665, 1667, 1669, 1673, 1682, 1688, 1689, 1691, 1696, 1700, 1702, 1710, 1726, 1728, 1736, 1742, 1744

'Komma' gestrichen nach: A14 *propalam*, 12 *fulgor*, 46 *tota*, 47 *Fortuna*, 142 *iuvat*, 158 *salutem*, 159 *fidem*, 164 *opes*, 165 *nepotum*, 173 *nostram*, 195 *vinclis*, 235 *tyrannis*, 263 *locet*, 279 *faventi*, 285 *secundis*, 293 *arcto*, 317 *nequit*, v398 *anxius*, v398 *fratrem*, 454 *pice*, 480 *amictu*, 498 *Ducis*, 505 *favor*, v524 *coronato*, 571 *madet*, 575 *arbor*, 577 *fluctu*, v621 *Iustitia*, 629 *cruor*, 654 *Philippicus*, 687 *pertinax*, 693 *patris*, 761 *cruces*, 774 *datos*, 872 *solet*, 910 *Caesare*, v997 *convocatis*, 1010 *fratre*, v1045 *cognita*, v1156 *convolantes*, 1282 *mea*, 1385 *Procrustes*, 1400 *mixto*, 1467 *umbris*, 1472 *satis*, v1549 *Carnifex*, 1560 *caput*, 1570 *semel*, 1602 *latus*, 1612 *parte*, 1619 *demum*, 1628 *vale*, 1629 *patris*, 1641 *perdidi*, 1642 *utinam*, 1717 *actutum*

'Komma' ergänzt: A9 *terrītus*, A10 *aliquo*, A11 *duceret*, A21 *es*, 5, 5, 14, 28, 43, 57, 67, 68, 69, 75 *Deo*, 81 *caelum*, 82 *ecce*, 87, 87, 94, 95, 101 *ferant*, 106 *perit*, 113 *quem*, 113 *vis*, 122, 124, 124, 133, 145, 147, 147, 163 *Patrum*, 166, 166, 167 *Ducis*, 171, 188, 190, 190, 194 *tibi*, 199, 199, 200, 205 *tantum*, 209, 209, 215, 215, 226 *decet*, 239, 239, 249, 253, 259, 270, 270, 272, 279, 287, 323 *Deo*, 326, 327 *caecus*, 327 *ah*, 331, 331, 338, 339, 344, 346, 347, 351, 352 *coelum*, 356, 357, 359, 369, 373, 373, 374, 381 *ensis*, 391 *Superi*, 393, v398 *Mauritius*, 398, 403, 406, 410, 417, 418 *orbis*, 423 *geris*, 430, 430, 430, 431, 432, 433, 434, 436 *tuum*, 437, 440 *absiste*, 443 *ille*, 456, 456, 456, 491, 497, 524 *age*, 530, 535, 535, 538, 539, 540, 541, 542, 543 *Mauriti*, 545, 554, 558, 564, 582, 589, 589, 594, 594, 604, 614, 616 *ah*, 631, 631, 635 *imperantum*, 637, 637, 638 *Christe*, 638 *pater*, 656, 657, 675 *illa*, 675 *Christe*, 679, 680, 682 *Mauriti*, 683, 683, 684, 685, 690, 692, 704, 705, 706 *Iustitia*, 706 *en*, 713, 713, 714, 722, 729, 729, 735, 735, 741, 750 *sine*, 751, 754, 754, 759, 768 *volunt*, 773, 780, 781, 784 *devincire*, 795, 820, 836, 864, 870, 882, 888, 913, 915, 915, 915, 916, 922, 922, 926 *agedum*, 927, 938, 939, 940, 946, 946, 949, 957, 957, 961 *poteris*, 967, 967, 972, 977, 990, 996, 997,



- 997, 1007 *petere*, 1014, 1014, 1028 *age*, 1040 *adeste*, 1042, 1047, 1048, 1048, 1055 *Imperator*, 1055 *morere*, 1065, 1065, 1074, 1086, 1089, 1090 *periiit*, 1094, 1118, 1120, 1124, 1127, 1129, 1137, 1144 *nutantis*, 1144 *ut*, 1146, 1147 *est*, 1159, 1162, 1165 *gravis*, 1166, 1169 *dederit*, 1172 *et*, 1179, 1179, 1180, 1181, 1194, 1197, 1203, 1203, 1204 *Philippice*, 1216, 1229, 1229, 1231 *perge*, 1238, 1241 *frater*, 1251, 1251, 1251, 1253, 1255 *agedum*, 1256, 1260, 1260, 1272 *tenebunt*, 1276 *tibi*, 1276 *Caesar*, 1280 *quid*, 1280 *Agatho*, 1287, 1289, 1290, 1290, 1299, 1301 *porta*, 1301 *venio*, 1310, 1311, 1312, 1319 *frater*, 1321 *nunc*, 1323, 1324, 1326, 1348, 1353, 1353, 1359 *video*, 1360 *deludimur*, 1364 *reveles*, 1369, 1369, 1370, 1374, 1380, 1381, 1390 *felix*, 1396, 1397, 1397, 1403, 1403, 1403, 1406, 1412 *qui*, 1414 *qui*, 1424, 1424, 1435, 1438 *vita*, 1443, 1443, 1444, 1451 *gnate*, 1454, 1454, 1454, 1457, 1458, 1459, 1459, 1459, 1473, 1482, 1483, 1483, 1484 *et*, 1488, 1492, v1493, v1493, 1493, 1493, 1493, 1493, 1497 *Iustine*, 1498, 1500 *hic*, 1501, 1503, 1503, 1509, 1509, 1510 *Caesarem*, 1513, 1516, 1519 *en*, 1521 *ah*, 1529, 1530, 1530, 1531 *ah*, 1532, 1532, 1536 *dicis*, 1540 *Domine*, 1541 *agedum*, 1551, 1551, 1551, 1552 *huic*, 1552 *tenemus*, 1556 *agedum*, 1566 *te*, 1575, 1580, 1582, 1587, 1588, 1592 *crudelis*, 1595 *me*, 1600, 1600, 1605, 1612, 1614, 1615 *primum*, 1615 *Phoca*, 1616, 1625, 1625, 1626, 1626, 1629 *nate*, 1630, 1630, 1632, 1633, 1634 *morere*, 1638, 1642 *ah*, 1649, 1649, 1655, 1658 *edissere*, 1658 *puer*, 1659, 1660, 1666, 1668, 1670 *sceleste*, 1674, 1676, 1678, 1678, 1678, 1681, 1681, 1686 *ah*, 1693, 1693, 1694 *i*, 1695, 1695, 1697, 1697, 1702 *patre*, 1704, 1705, 1707, 1707, 1708 *ignosce*, 1710, 1711, 1711, 1715, 1715, 1715, 1718 *licet*, 1719 *i*, 1722 *poli*, 1723, 1725 *Domine*, 1727 *etiamnum*, 1729 *miles*, 1735, 1737, 1737, 1738, 1739 *Domine*, 1740 *ignosce*, 1741, 1741, 1741, 1743, 1746
- 'Komma' statt 'Punkt': A4 *fatigavit*, A7 *immolavit*, A11 *Ducem*, 141, 182, 202, 208, 300, 325 *Caesar*, 334, 427, 442, 501, 805, 823, 830, 1125, 1130, 1404, 1415, 1421, 1452, 1542, 1544, 1562 *probrum*, 1596, 1748
- 'Komma' statt 'Doppelpunkt': A14 *illuserint*, 488, 510, 515, 576, 726, 762, 825, 828, 876, 1025, 1035, 1038, 1073, 1076, 1114, 1190, 1266, 1332 *corona*, 1333, 1569, 1621, 1645
- 'Komma' statt 'Strichpunkt': A8, 4, 95, 127, 336, 502, 709, 775, 868, 1385, 1714
- 'Komma' statt 'Fragezeichen': 609, 1053
- 'Komma' statt 'Ausrufezeichen': 1110, 1426 *heu*
- 'Punkt' gestrichen: 149 *iacet*, 212 *miles*, 223 *mei*, 241 *facit*, 478 *dolus*, 720 *tibi*, 733 *exempla*, 737 *liga*, 863 *haerent*, 891 *latet*, 971 *ferat*, 1009 *optime*, 1185 *fida*, 1291 *mali*, 1326 *optime*, 1387 *Decius*, 1401 *merit*, 1704 *voce*
- 'Punkt' ergänzt: A12, 66, 99 *curae*, 116, 150, 204, 383, 383, 389, 453, 457, 528, 536, 632, 672, 727, 738, 741, 747, 800, 871, 946, 972, 1032, 1033 *astus*, 1074, 1103 *Mauritius*, 1118, 1155 *accedo*, 1161 *recuso*, 1179 *cives*, 1216, 1219, 1319 *propius*, 1326, 1337, 1342 *hoste*, 1353, 1361, 1407, 1472, 1574, 1579, 1631 *divide*, 1645, 1654, 1718
- 'Punkt' statt 'Doppelpunkt': 35, 1323, 1416, 1450, 1497
- 'Punkt' statt 'Strichpunkt': 725, 756
- 'Punkt' statt 'Komma': A18 *mactavit*, 128, 130, 135, 147, 215, 328 *abis*, 361, 410, 413, 444, 499, 530, 606, 629, 634, 648 *reos*, 666, 714, 804, 886, 887, 888, 902, 931, 936 *Caesarem*, 949, 960, 974, 976, 1003, 1025, 1027, 1029, 1036 *probo*, 1076, 1119, 1141, 1157, 1204, 1210, 1238 *est*, 1243 *virum*, 1250, 1253, 1254, 1279, 1289, 1309, 1313, 1325 *decus*, 1366, 1373, 1377, 1379, 1432, 1439, 1443, 1445, 1453, 1461, 1513, 1519 *scimus*, 1525 *querelis*, 1605, 1613, 1624, 1630, 1644, 1667, 1673, 1730 *feri*, 1732, 1735
- 'Strichpunkt' gestrichen: 248 *faces*, 846 *spinas*
- 'Strichpunkt' ergänzt: 205, 357, 422, 469, 538, 733, 751, 956, 1133, 1145, 1160, 1506, 1653
- 'Strichpunkt' statt 'Punkt': 137, 177, 378, 408, 481, 508, 705, 762, 808, 856, 892, 959, 1418, 1729
- 'Strichpunkt' statt 'Doppelpunkt': 6, 13, 17, 20, 27, 51, 54, 681, 698, 844, 845, 1062, 1121, 1305, 1308, 1338, 1361, 1490
- 'Strichpunkt' statt 'Komma': 33, 87, 114, 122, 124, 127, 182, 220, 225, 231, 247, 333, 339, 362, 406, 415, 437, 453, 477, 490, 534, 605, 618, 625, 684, 686, 690, 695, 726, 880, 896, 904, 921, 927, 937, 946, 1040, 1043, 1052, 1055, 1066, 1099, 1116, 1140, 1165, 1170, 1181, 1194, 1201, 1203, 1228, 1237, 1251, 1256, 1258, 1289, 1292, 1299, 1310, 1311, 1374, 1380, 1408, 1431, 1444, 1452, 1462, 1473, 1482, 1493, 1512, 1514, 1523, 1549, 1552, 1585, 1597, 1612, 1632, 1634, 1649, 1655, 1692, 1708, 1715, 1717
- 'Doppelpunkt' ergänzt: 720, 790, 996, 1105, 1225, 1719
- 'Doppelpunkt' statt 'Punkt': 419, 1060, 1323
- 'Doppelpunkt' statt 'Strichpunkt': 1347
- 'Doppelpunkt' statt 'Komma': 32, 123, 138, 228, 233, 242, 263, 391, 441, 464, 519, 554, 612, 656, 754, 795, 940, 967, 973, 1180, 1197, 1216, 1250, 1257, 1311, 1313, 1321, 1331, 1468, 1486, 1501, 1549, 1556, 1611, 1614, 1620, 1625, 1676, 1696, 1715, 1724, 1729, 1731, 1741
- 'Fragezeichen' ergänzt: 1071 *sequor*, 1663
- 'Fragezeichen' statt 'Punkt': 435, 1054

'Fragezeichen' statt 'Doppelpunkt': 190, 1535, 1736

'Fragezeichen' statt 'Strichpunkt': 1504

'Fragezeichen' statt 'Komma': 611, 736

'Fragezeichen' statt 'Ausrufezeichen': 1094, 1664, 1681

'Ausrufezeichen' ergänzt: 423, 567, 1426, 1530

'Ausrufezeichen' statt 'Punkt': 1638, 1688

'Ausrufezeichen' statt 'Strichpunkt': 1435

'Ausrufezeichen' statt 'Komma': 717, 1530, 1695, 1695

'Ausrufezeichen' statt 'Fragezeichen': 533

'Anführungszeichen' ergänzt: 1347ff.

'Anführungszeichen' statt 'Kursivdruck': A21f., 1055, 1060

'Klammer' gestrichen: 563 *abluent.*, 564 *supersit*, 612 *non*, 1491 *via*, 1492 *ceciderit*

'Klammern' ergänzt: A22

'Gedankenstriche' ergänzt: 1426

'Gedankenstriche' statt 'Klammern': 39f.